

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition publiée à Vienne, par Michael Zimmermannius, en 1553.

LAURENTII GAMBARAE BRIXIANI POEMATUM LIBRI III.

LIBER PRIMUS.

ECLOGA PRIMA. AD JULIUM TERTIUM PONT. MAX. CHORINEUS.

P1_01 v.1 Alme pater, rerum series cui credita Juli,
 2 quem Deus omnipotens, totiusque arbiter aevi
 3 ipse Deum dedit in terris, qua lucidus alto
 4 consurgit, vel qua rutilus cadit aequore Titan,
 5 qua timet Oceani se tingere fluctibus Arctos,
 6 quaque videt laeva medium Sol arduus axem.
 7 Nunc quoniam nos nulla metu Bellona fatigat,
 8 nostra nec Ismarias horrescunt litora puppes,
 9 auspice te, niveo invehitur sed candida curru
 10 per Latium pax exsultans, et amata reducit
 11 otia, tu, Pater alme, leves ne despice curas
 12 Pieridum, inventasque alio sub cardine gentes.
 13 Jam mare Tyrrhenum Sículus sulcabat Orontes,
 14 et victor ducibus captis, praedaque potitus
 15 in Libyam tendebat iter, Getulaque versus
 16 littora cum primum rutilo se Sirius astro
 17 ostentat caelo, atque aestu sitit arida tellus.
 18 Interea dum lenta ferunt freta caerula puppim,
 19 tum sic Tuscus ait puppi Chorineus ab alta :
 20 "Dum faciles spirant aerae, domitorque profundi
 21 caeruleis invectus equis premit aspera curru
 22 aequora, et iratum placat mare, nosque Pelori
 23 fugimus horrentes scopulos, latrantia longe

24 monstra canum, et placidis alacres vada currimus undis
 25 ipse ego, quem quondam Ligurum ratis ad freta vexit
 26 Cannibalum, nec non longinqua ad littora Cubae,
 27 diversos hominum mores, herbosaque ponti
 28 marmora, et Hesperiiis incognita sidera nautis
 29 expediam (dictu mirabile) vos mihi, Nymphae
 30 Nereides, tuque o rector, Neptune, profundi,
 31 et tu Nereidum genitrix, longaevaeque Tethis,
 32 qui me Tyrrhenamque ratem duxistis ad oras
 33 Cannibalum, atque iterum pelago per longa remenso
 34 Oceani spatia incolumem sub numine vestro
 35 Ausoniae patrias tandem duxistis ad oras,
 36 unanimes vos ferte pedem, pluviosque sub antris
 37 Aeoliis cohibete notos, et murmura ponti.
 38 Sub veris tepidos soles, quum taurus olympto
 39 conspicitur, viridesque comas nemus induit, et cum
 40 surgit ab occasu Zephyrus, desuetaque ponto
 41 in mare vela vocat, pelagi nec territus horret
 42 nauta minas, sed longa levi petit aequora cymba,
 43 tunc nos Hesperiae fines et littora laeti
 44 liquimus, Oceanique vias penetravimus, aequorque
 45 hactenus ignotum nautis, solemque secuti
 46 mergentem sese ferimur per inhospita saxa.
 47 Tum noster sese vertex subducere coepit,
 48 astrorumque alios hunc contra aspeximus ignes,
 49 atque aliam caeli faciem, quam credidit Austri
 50 esse plagam Ligur Ucalegon ; nam vertice in illo
 51 quattuor ingenti radiantia sidera luce,
 52 et nostris majora nitent, quae per freta puppes
 53 insuetos pelagi tractus, cursumque docerent.
 54 Sed nos ignarique viae, trepidique procellis
 55 ire iterum in rapidos fluctus, et inhospita saxa
 56 cogimur, et dubias ventis committere naves.
 57 Protinus excutimur sinuosa per aequora cursu,
 58 dispersi, rapidisque Notis jactamur, et undis.
 59 Tunc iterum sese nostris ostendere coepit
 60 luminibus caelo vertex sublimis ab alto,
 61 hic ubi perpetuo venti maria invia volvunt ;
 62 et pafsim (nec vana loquor) viret herba profundo
 63 remigiis invisita : rates fluitantia tardant
 64 semina, et undantes rapidis sub fluctibus herbae.
 65 Illic nos silvas legimus, quas longa gerebant
 66 litora, et arva simul nullis obnoxia rastris,
 67 et tandem fessos post mille pericula leti,
 68 insulae Oceano in vasto sub sidere Cancri
 69 accipiunt : hic ante alias se tollit ab alto
 70 terra mari, terra auratis fecunda metallis,
 71 et felix gemmis ; gens illic Cymbia saxo,
 72 craterasque cavat, solidaque ex arbore lintres
 73 haec auro innectit crinem, et nigrantia colla,
 74 et fulvum pendet patulis e naribus aurum.
 75 Quid memorem pictas volucres, quae frondea circum
 76 rura volant, cantusque suos noctique dieique
 77 aequant, et variis implent concentibus auras ?
 78 Quas inter canit Eois non natus in oris
 79 psitacus et volucribus cantus imitatur, et altis
 80 arboribus strepit, et lingua nova verba loquaci
 81 ingeminat, repetitque hominum per guttura voces.

82 His circum virides silvae, vicinaque silvis
83 rura sonant, liquidique cavis sub rupibus amnes.
84 Illic est adeo placidi mitissima caeli
85 tempestas, hieme ut media sua gramina servant
86 fecundi passim colles et balsama frondes,
87 et densis modulentur aves nova carmina silvis.
88 Pars dulcem frondentis alunt in vertice pinus
89 progeniem, pars ova fovent, pars ilice nigra
90 nidificant latebrisque domos frondentibus abdunt.
91 Sunt illic parvique canes, mutique nec ullas
92 assueti turbare feras stabulisve luporum
93 incursus prohibere graves : hi regia tantum
94 tecta tenent, conduntque suos sine murmure Soles.
95 Vidi lanigeras non longe a litore silvas,
96 et passim arboreis pendetia vellera ramis.
97 Vidi et odoratos alio sed litore lucos,
98 frondentes quorum rami mollissima servant
99 vellera, quae levibus siliquis inclusa teguntur.
100 Hic passim innumeras deducit in aequora baccas,
101 permistosque auro latices placidissimus amnis,
102 humidus e caelo praesertim Juppiter alto
103 cum ruit, et largo tellurem verberat imbre.
104 Illic purpureis effulgere litora gemmis
105 vidimus, aurataque nitescere littus arena ;
106 pascitur et monstrum silvas, cui Daedala mirum
107 ingenium natura dedit, nam femina pellem
108 juxta uterum vacuum ostentat, qua sedula secum
109 fert natos, aetas donec juvenilis adultos
110 fecerit, atque habiles cursu, quotiesque recentes
111 tondet odoratas immistis floribus herbas,
112 exponit toties teneros in gramine fetus.
113 Atque una modo pascit, ovans modo ludit in herba.
114 Cum vero videt illa feras per prata vagari,
115 tunc natos legit, annexaque reponit in alvo
116 et raptim fugiens secum sua pignora defert.
117 Vidi equidem populos, qui lata per oppida Regem
118 sublimem portent humeris, nec cernitur umquam
119 aut pedes, aut subvectus equo, curruve sonanti.
120 Hic gentes nudae incedunt, quibus edere prolem
121 haud licitum est ; donec placidis effluxerit annis
122 purpureus flos aetatis, nec pignora curant
123 illius, quae ter denos non viderit annos.
124 Illae herbis abigunt partus, venturaque ad auras
125 corpora dant leto tristi ; et si forte labores
126 Lucinae furtim sit virgo experta juvena,
127 illam certa manet saevo sub vindice poena.
128 Quinetiam (nec vana fides) dum mortua Regum
129 corpora subjiciunt flammis, simul optima conjux
130 et magis ante alias dilecta ascendit amatos
131 sponte rogos, flammisque suos crepitantibus artus
132 volvit, et amplexu fruitur post fata mariti.
133 Hoc faciunt bellique Duces, famulique volentes,
134 quos olim Rex ingenti dilexit amore :
135 (utque ferunt) hae saeva tenent post funera gentes
136 Elysii sedes una cum Rege beatas.
137 Sunt populi qui crescentis nova cornua Phoebes,
138 aetheriumque colant Solem, cum surgit ab undis
139 Oceani, caeloque diem, nobisque labores

140 pulsa nocte refert ; alii sub imagine Divos
 141 nativo insignita auro venerantur, et illos
 142 sanguine natorum spargunt, cum lumina primum
 143 attingunt dulcis vitae : jacet insula longo
 144 cincta sinu, et rapido circum pulsata profundo ;
 145 qua genus acre virum floret, belloque juvenus
 146 aspera, finitimasque armis invadere gentes
 147 assueta, et pelagi percurrere lintribus undas.
 148 Captivos verubus figunt, et pingua torrent
 149 viscera, et in campis laeti vescuntur apricis :
 150 femineo generi ignoscunt, trepidaeque senectae.
 151 Et quoties vento fervet mare, protinus arma
 152 corripiunt litusque petunt, pulsasque procellis
 153 litora ad ipsa rates rapiunt, spoliantque, feruntque.
 154 Parte alia Martis gens est assueta labori,
 155 quae faciem bacis Ebuli, nudataque pingit
 156 pectora mille notis, viridique colore lacertos
 157 spargit, in hostiles quoties parat ire phalanges.
 158 Corpora quin alii siccant Regumque, Ducumque
 159 magnanimum post fata teruntque et pulvere Bacchum
 160 spumantem pateris miscent, pugnataque quondam
 161 bella simul, laudesque canunt, et pulvere eodem
 162 solemnes spargunt epulas, magnaque vicissim
 163 voce vocant illorum animas, et voce salutant.
 164 Ut vero cecinere suos per carmina Reges,
 165 tunc laeti indulgent Baccho, sparsisque suorum
 166 pulvere vescuntur dapibus. Gens proxima Regum
 167 corpora sic consumpta sacris penetralibus abdit,
 168 atque ea (sic fama est) magno veneratur honore,
 169 et noctu volitare animas post funera credit.
 170 Nec non et densis maculoso tergore silvis
 171 serpentes passim nascuntur, et aequora certis
 172 temporibus tranquilla colunt ; sed cum redit annus
 173 fecundans laeto gremium telluris honore,
 174 tunc silvas et prata tenent, et mollibus herbis
 175 ingluviem, aut pomis vulgo nascentibus explent.
 176 Hos noctu laqueis captant, dum lumina fessi
 177 declinant somno, vel cum rapidissimus imber
 178 praecipitat, caelique micant de partibus ignes.
 179 Illi etenim caelique minas, hiemisque futurae
 180 haud perferre valent : sectos in frusta columnis
 181 infigunt verubus, silvisque epulantur in altis.
 182 Hi sese perhibent terra genitrice creatos,
 183 atque olim e specubus lucis venisse sub auras.
 184 Hic juvet et memorare Deos, quos insula Zemes
 185 Cuba vocat, quibus effossis posuere latebris
 186 templa rudi constructa auro rigidoque adamante.
 187 Coralio longe rutilant, et iaspide postes,
 188 vestibulumque solumque nitet gemmisque auroque :
 189 hinc circum indigenae gentes oracula poscunt.
 190 Reddidit haec olim vates responsa Sacerdos
 191 consultus super imperio : "Nunc, o mea pubes,
 192 permistique senes pueris, matresque nurusque,
 193 quos semper gremio veluti mea pignora fovi,
 194 queis semper responsa dedi, et ventura retexi
 195 fata hominum haud incerta, dies inopina propinquat
 196 qua regnum hoc felix, et regia sceptrata tenebunt
 197 vestibibus indutae gentes, quas externa classis

198 huc vehet : hosque Deos tollent, operosaque templa
 199 evertent legesque novas et sacra docebunt."
 200 Haec vates de more dedit responsa Sacerdos.
 201 "Nec vero faciles animos delusit inani
 202 augurio ; nam vix septena advenerat aestas,
 203 cum Ligur Hesperis ratibus jam contigit Idas
 204 dux ratis ignotos portus, et litora Cubae,
 205 et late imperio populos, et regna subegit ;
 206 et nova jura dedit populis ritusque sacrorum."
 207 Quid referam, ut laetae felici litore gentes
 208 perpetuum certis agitent sub moribus aevum.
 209 Illic non populi leges tabularia servant,
 210 illorum non cura animos accendit habendi ;
 211 non aurum effossa quisquam tellure recondit,
 212 non captant Regem insidiis bellove lacesunt.
 213 In mediis habitant constructa mapalia silvis,
 214 quae cedro, palmaque tegunt, tutique vagantur
 215 prata per agrestesque domos ; non extera verrunt
 216 aequora, non merces aliena ad littora portant.
 217 Non animum informant studiis, fractosque tubarum
 218 haud trepidi audivere sonos. Pax aurea servat
 219 immunes belligentes, non crastina curant
 220 tempora, nec Lunae metuunt obnoxia Phoebo
 221 lumina, nec morbo languent, nec Apollinis artes
 222 norunt, aut umquam succos hausere salubres.
 223 Externos nondum mores Chorineus, et urbes
 224 desierat memorare, vident cum litora nautae
 225 in mare caeruleum, qua Bagra da conditur amnis.
 226 Tunc laeti flectunt cursus ad fluminis oras,
 227 carbasaque, funesque legunt, transtrisque reponunt.

ECLOGA SECUNDA, TRITON AD BASILIUM ZANCHIUM.

MEDON, LYCABAS.

P1_02 v.1 O Lycaba, quae Tyrrheno modo litore vidi,
 2 dum nitidus mane exoriens lata aequora Titan
 3 auratis spargit radiis et lampade lustrat,
 4 et laetae nidum Alcyones, natosque revisunt.

LYCABAS

5 Dic, age, dic, dilecte Medon, dum nos mare nautas
 6 pacatum tenet, et placidis freta verrimus undis.

MEDON

7 Dicam equidem, fas sit quaecumque audita referre,
 8 et possem pelagi populos, Neptuniaque arva,
 9 aequoreosque deos memorare, et laeta sub undis
 10 pascua, et Oceani subter vaga flumina rupes,
 11 quoque modo, quibus insidiis, quave arte latentes
 12 aequore sub vasto posset quis fallere pisces.
 13 Namque ego, dum placidis aetas floreret ab annis,

14 Tyrrhenum agnovi Buten, quem fama ferebat
 15 horribiles solitum laqueis in nectere Phocas.
 16 Hunc olim Clymene miro dilexit amore,
 17 et subter pelagi sedes deduxit, et omnes
 18 scire dolos, artesque dedit queis retia ponto
 19 tenderet, aut longa captaret arundine pisces.
 20 Hic mihi saepe sedens pelagi memorabat ad undam
 21 nominaque et mores gentis, formamque genusque
 22 et bella inter se nostrarum more ferarum.
 23 Nunc vero, o Lycaba, sat erit Tritona canentem
 24 audire, et divum curas ad litus inanes,
 25 flebilibusque suos referentem cantibus ignes.
 26 Est ingens specus exesi prope littoris oram,
 27 qua sublime jugum Circaeï montis ad auras
 28 tendit, et incurvo late premit aequora dorso.
 29 Hunc passim errantes hederæ et viburna corymbis
 30 nexa tegunt, manat de vertice dulcis aquae fons,
 31 permulcens gelidis viridantia gramina lymphis ;
 32 dum sequitur Triton fugientem caerulea circum
 33 Cymothoen, viridi hoc fessus se condidit antro.
 34 Cui vaga caesaries per squamea colla fluebat,
 35 glaucaque sub viridi radiabant lumina fronte,
 36 os scissum, deforme, cavum, naresque recurvae,
 37 Delphinum induerat caudas, qua parte reflectit
 38 hispida crura, quibus toto regit aequore cursus.
 39 Dumque canit, commotæ undæ, commotus et omnis
 40 Tritonum chorus, et fera monstra latentia ponto.
 41 Tunc Nymphae, pelagi Nymphae per summa natantes
 42 marmora conveniunt Beroe, Dorisque, Eratoque
 43 pulchra comas atque ante alias dilecta parenti,
 44 Amphinomeque, Thoeque, Actæaeque, Glauconomeque
 45 coraliisque ornata Ephyre, collumque, manusque,
 46 et roseo suffusa genas Arethusa colore.
 47 Cantabat Tethyn, rerumque Deumque parentem
 48 Oceanum, utque ille aetherii spatia ardua caeli,
 49 ut Solem, Lunaeque globum, volventiaque astra
 50 ediderit, nitidumque diem, noctisque tenebras,
 51 terramque montesque super firmaverit altos,
 52 unde tot irrigui fontes, unde alta fluenta,
 53 unde lacus late liquidi, et tumida aequora surgant,
 54 addit et Idaeo natas in vertice pinus.
 55 Nympharum in faciem notum jam nare per aequor.
 56 Nec non audaces Tyrrheno in gurgite nautas
 57 delphinum in torvos vultus ut verterit Euan.
 58 Ille olim genitam (si vera est fama) Dionen
 59 e spuma maris Oceani referebat, et illam
 60 tendentem Paphias concha super aequora ad oras.
 61 Neptunum addebat moderantem cuncta tridenti
 62 aequora caeruleosque deos ; utque ille sub antris
 63 Oceani incautam compresserit Amphitriten,
 64 felicemque torum laudat, tum Nerea centum
 65 progenuisse refert germana e Doride nymphas.
 66 Hinc Glaucum patrias linquentem Anthedonis oras,
 67 et Scyllae captum indigno solatur amore.
 68 "Infelix, ah quid Neptuni accumbere mensis
 69 te juvat, aut mersis pelago succurrere nautis ?
 70 Si non ulla quies animo est, si Scylla reliquit
 71 exanimem, meritas solvit Scylla impia poenas."

72 Delitet illa etenim Siculis immersa sub undis
 73 tot gemitus inter pelagi et resonantia saxa.
 74 Protea subjungit vatem, magnique parentis
 75 hispida caeruleis pascentem armenta sub undis.
 76 Tum canit, ut vitreo se promat ab aequore nympha,
 77 nympha maris Siculi magnum decus, et vocet Acim
 78 sectantem canibus lepores, mox nota petentem
 79 litora et accipiat gremio, lassumque recenti
 80 venatu foveat, torvo quos lumine Cyclops
 81 prospiciens rapido indomitum pede currit in aequor.
 82 Se maris invenisse cavo sub gurgite concham
 83 jactat, et Aeoliis ferro terebrasse sub antris,
 84 inque fugam illius sonitu vertisse Gigantes
 85 terrigenas, caeli qui jam convexa tenebant.
 86 Tum demum ille suos cantu referebat amores.
 87 "Cymothoe immitis quo te sub gurgite nantem
 88 inveniam ? Tu me hoc pelagi tentare profundum
 89 cogis et Oceani fines, atque invia nautis
 90 aequora, nec curas tantos ingrata labores ?
 91 Crudelis, tu me morientem ad flumina Nili
 92 vidisti toties, et opem mihi ferre negasti.
 93 Me vocat absentem pulcherrima Laomedia,
 94 me Clymene, et Siculis degens Galatea sub undis
 95 invitat, nec non longis Panopea capillis.
 96 Ah, demens, quem Saga manu ter gurgite mersit
 97 Oceani, Eois cum Sol decedit ab undis.
 98 Illa aspersa maris spuma ter vincula nodis
 99 implicuit, ter voce Erebum, atque ignota vocavit
 100 numina, semianimem rapido me in vortice liquit :
 101 per noctem jacui madida moribundus in alga.
 102 Huc ades hos inter scopulos, qua frangitur unda,
 103 qua dulces spirant aerae, te munera nostra
 104 exspectant, manet Eois ditissima gemmis
 105 concha ingens, quam cingit ebur, quam sustinet ingens
 106 chrysolitus pedibus ternis ; ansasque Hyacinthus
 107 circumdat, viridi intertextus iaspide et auro.
 108 Quid ? Quod et aestivo cum Sole incanduit aequor,
 109 hac residens concha secreti ad litoris amnem
 110 perfundes gelidis candentia corpora lymphis.
 111 Muneraque attulimus rubro quaesita profundo,
 112 atque electra diu croceo perfusa colore.
 113 Eridane, extremo qua tendis in aequora cursu,
 114 quid tibi tunc animi est ? Num te felicior alter ?
 115 Cymothoe dum Nympha tuis sese abluit undis,
 116 dum sedet in ripa, somnos dum captat, et auras,
 117 o fortunati fluctus, quos litora Cretae
 118 prospiciunt, quibus illa suos consumere soles
 119 saepe solet, comitumque manu sociata sororum
 120 instaurare choros Dictaea per aequora ; cum Sol
 121 surgentem caelo Taurum spectavit aperto :
 122 ah quantum vestris longe disjungimur undis."
 123 Ut satis insanos cantu deflevit amores,
 124 insonuit concha curvato in litore circum,
 125 Cymothoenque vocat : referunt cava litora circum
 126 "Cymothoen", resonant nymphae lata aequora nomen.
 127 Tunc procul errantem fluitantia per freta Triton
 128 Cymothoen videt : et scopulo se mittit ab alto
 129 in mare, praecipitique secat vada caerulea cursu ;

130 atque illam rapido sinuosa per aequora motu
 131 persequitur : fugit illa leves revoluta per undas.
 132 Haec ego noster amor, nostro decus addite saeclo
 133 Musarum Zanchi cura, et gratissime Phoebos,
 134 vernantes inter silvas saltusque canebam,
 135 pomosi qua prata rigant Aniena fluentia
 136 Tiburis, Argeique nitentia culta coloni,
 137 dum tu graminea in ripa, qua Serrius undas
 138 volvit, et aurato stringit loca pingua cornu,
 139 felices hortos cantu, sedesque beatas
 140 florentis Sophiae memoras. Mox arduus alto
 141 inveheris caelo, et sacrae convivium mensae,
 142 caelestes epulas, communia gaudia divum
 143 aeternis mansura canit tua pagina saeculis.

ECLOGA TERTIA.

DAMASTOR, SIVE PETRUS CANNICER ARAGONIUS, FERDINANDI ROMANORUM REGIS ARCHIATRUS.

IDAS, DAMASTOR, PHARON.

Pl_03 v.1 Iliacos juxta fines litusque repostum
 2 stagnantis pelagi locus est, ubi cornua longe
 3 extollit praeceps Simois, magnoque fragosus
 4 undarum strepitu late se effundit in aequor
 5 Sigaeum, Xanthi immixto jam turgidus amne.
 6 Planicies hic longa jacet, sat cognita nautis,
 7 praecipue Libycis ventus cum surgit ab oris,
 8 et totum involvit rapidis mare fluctibus ; et cum
 9 nigrantes posuere Noti, et tumida unda quievit.
 10 Quam circum aerae frondoso vertice quercus
 11 incingunt, latet obscuris palus abdita silvis,
 12 deducens dulces sinuosa in marmora lymphas.
 13 Hunc laeti incolumesque locum tenuere Damastor
 14 Arcas, Erythraeusque Pharon, et Lesbium Idas,
 15 Idas remigii rector, quo tutior alter
 16 non lustrat freta salsa, Pharon quem temnere ventos,
 17 venturasque hiemes pelago experientia longa
 18 edocuit. Cithara insignis et voce Damastor
 19 et pelagi lustrare vias, et temnere ventos.
 20 Ast alii subeunt luco, qua densior horret
 21 umbra loco, qua Sol radianti lumine numquam
 22 discutit aeternas umbras, passimque per herbam
 23 dant sese somno impavidi ; tunc maximus Idas
 24 propter aquam residens, placide est ita farier orsus.

IDAS.

25 Has inter nemorum frondes levis aura, Damastor,
 26 dum crepitat morsuque tenax ligat ancora puppes
 27 et nos incolumes Phrygium Simoenta tenemus,
 28 tu sine ventosi surgens maris insonet unda,
 29 nos juvet ingenti fessos succedere quercu,
 30 qua virides pandit ramos, et frondea densas

31 ramorum tenebras umbroso vertice texit,
 32 teque diu promissa juvet jam carmina nobis
 33 reddere, et immensos cantu relevare labores.
 34 Quid dubitas ? Omnes portum subiere biremes
 35 Phorbantis consanguinei ; nam saeva per aequor
 36 paulatim desaevit hiems, dextrumque petivit
 37 litus, et Aegeas stridens properavit ad oras.

DAMASTOR.

38 Sic equidem volvebam animo, celeres licet Euri
 39 urgerent agerentque rates Phorbantis in altum
 40 aequor, ubi horrisonis spumabant saxa sub undis.
 41 Sed vestros adhibete animos : ego carmina vobis
 42 jam promissa canam ; Boreae dum spiritus undas
 43 aerias caelo rapidus fugat, hasque per umbras
 44 aspirant tenues animae, tunc talia laetus
 45 dicta Pharon ripae viridantis ab aggere fudit.

PHARON.

46 O Phoebi decus, et Phoebo dilecte Damastor,
 47 quem toties ponti viderunt numina cantu
 48 mulcentem Phocas, et secum mille trahentem
 49 monstra maris, citharam manibus cape, munera Phoebi,
 50 et dignum Phoebo carmen meditare sub umbra.
 51 Nautica tunc querulis intendere carmina nervis
 52 incipit, atque oculos inimica ad litora torsit.

DAM.

53 Has olim pelagi fatis Leander iniquis
 54 debitus intrabat nullo cum remige fauces,
 55 quem numquam nantem vidit Tithonia conjunx
 56 exoriens, non Solis equi, pulcherrima tantum
 57 conspexit Phoebe, peteret dum litora Sesti.
 58 Ille etenim infelix picea sub nocte, sub undis
 59 occubuit superante salo, tumidum mare vexit
 60 aetheria jam luce carens ad litora corpus ;
 61 qua lychnum servans Hero monstrabat amanti
 62 obscura sub nocte viam, miser ille jacebat
 63 exanimis. Hero sed tanti nescia fati
 64 sollicitat tacitis Neptunia numina votis.
 65 Luciferum quae prima vehis, quae lumina mundo
 66 prima refers nitidi velox praenuntia solis,
 67 tu, dea, dic : vidisti etenim, dum lutea caelo
 68 effulges, spargisque ferum mare luce recenti,
 69 sub lucem morientem Hero, dea candida, pande
 70 olli quis sensus, pelago dum fundere lumen
 71 te vidit, tremulumque nova mare fulgere luce,
 72 nec vidit de more suum prope litus amantem.
 73 Illa oculos circum volvens jam pallida et amens,
 74 nocturnaeque hiemis memor, imperterrita turrim
 75 ascendit, jam certa mori. Vix lumina circum
 76 volverat, aeriae prope limina turris amantem
 77 cum vidit lacerum scopulis fluctuque tumentis.
 78 Non chlamyda exanimata scidit, non marmora quaestu
 79 implevit, sed se turri dejecit ab alta

80 cum sonitu, moriensque suum complexa maritum est.
 81 Infelix puer, amplexu tua te tenet Hero
 82 extinctum, lacerumque. Simul vos per Styga vexit
 83 caerulea cymba, simul vos fortunata nitentis
 84 Elysii nemora incolitis, gelidosque recessus.
 85 Indomitum mare, cui nomen miserabilis Helle
 86 invisum nautis posuit, dum per freta longa
 87 effugeret saevaeque minas, iramque novercae.
 88 Hanc ingens timor arripuit, cum surgere pontum
 89 vidit, et aequoreis mediam se aspexit in undis,
 90 atque amens collapsa manu radiantia terga
 91 liquit, et infido fecit nova nomina ponto.
 92 Quid referam ? Ut Thetis alma choro comitante sororum
 93 fuderit ingentes hoc ipso in litore questus,
 94 et tristi extinctum fato deflerit Achillem.
 95 Abstulit hoc etiam clarum Didymaona bello,
 96 dum redit in patriam victor, praedaeque superbus
 97 barbarica, domitoque Tago, regnisque subactis ;
 98 Hellespontiacum triplici dum classe per aequor
 99 exsultat, captumque ducem et spolia ampla reportat.
 100 Hoc etiam rapidis dirum mare fluctibus Idam
 101 oppressit Ligurum, primus qui litora Cubae
 102 attigit, et primus nostris incognita nautis
 103 aequora, et oppositumque Polum et nova sidera vidit,
 104 et fortunatas alio sub cardine terras.
 105 Ah, miser, assidue quem non potuere procellae
 106 extremi maris Oceani submergere, dum tu
 107 perquiris nova regna, novosque invadere fines
 108 Cannibalum novus ardor habet, te mersit Abydi
 109 navifragae gravis unda, ratesque illisit arenae.
 110 Nereides totis flerunt tua funera nympphae
 111 aequoribus, flevit domitor maris, et tua fata
 112 aspera dederunt maesti per litora nautae ;
 113 quin etiam (si vera Ligur mihi rettulit Alcon)
 114 infremuit mare Tyrrhenum, et fera corruit alto
 115 tempestas demissa Polo : celer astitit Eurus,
 116 deprensasque rates Tyrrheno in gurgite adegit
 117 in scopulos syrtesque, gravi incumbente procella.
 118 Dum canit, Euxinique natans sub fluctibus audit
 119 Tritonum chorus omnis, eumque immensa fluenta
 120 cantantem audivere, vagae Oceanitides ultro
 121 oblitae choreas stratum plausere per aequor.

ECLOGA QUARTA.

SACRIFICIUM.

AMILCON, EURYDAMAS.

Pl_04 v.1 Tendebat Liparae fractis ad litora remis
 2 Cnosius Eurydamas crudeli impulsus ab Austro,
 3 nec timet Aeolio dimissos carcere ventos.
 4 Uno, eodemque mari, ventoque agitatus Amilcon,
 5 litoreis Liparae silvis construxerat aras

6 Neptuno Thetidique, quibus tumida aequora ponti
7 vicerat, et capta navem servarat arena,
8 occurrens prior ad litus sic infit Amilcon.

AMILCON.

9 Quam laetor, dum te incolumen sociosque ratemque
10 aspicio, Siculis te mersum rebar in undis,
11 Inferiasque tibi supremaque dona parabam.

EURYDAMAS.

12 Haec eadem ducebam animo, cum turbidus Auster
13 ingrueret capiti, totumque everteret aequor.
14 Autolyçi navem ante oculos, geminasque biremes
15 illisit scopulis rapidoque in vortice mersit.
16 Vidi ego per tumidos morientum corpora fluctus ;
17 vidisti quibus Auster aquis, quo turbine ferret
18 disjectas pelago naves. Ego Cycladas inter
19 saepe fui, Maleaeque inter resonantia saxa.
20 Non tamen hanc pelagi faciem vidi, licet Austri
21 deprensas agerent agitata per aequora puppes.
22 Cannibalum terras longe lateque repostas
23 divisum penitus nostris regionibus orbem
24 accessi (nam nona mihi prope vertitur aetas)
25 atque horum fines ultra, qua spectat ad Arctos
26 insula longa salo circum pulsata sonanti,
27 et qua perpetuo venti maria invia volvunt,
28 et passim (nec vana loquor) viret herba profundo
29 remigiis invisâ, rates fluitantia tardant
30 semina. Nos eadem quamvis herbosa remensi
31 aequora per rapidos fluctus, per inhospita saxa.
32 Non tamen hanc molemque et aquas, aut aspera vidi
33 aequora commotis ita vertere Nerea ventis.
34 Sed nos interea, socii dum naufraga vela
35 extendunt, jam vota deum solvamus in acta.
36 Mox laeva de parte maris, qua murmure rauco
37 inter concava saxa fremit mare et alluit umbras
38 ingentis silvae, aspiciunt errare per herbam
39 lanigerum pecus et pictos latera ardua tauros.
40 Tunc alacres subito expediunt arma omnia nautae ;
41 invaduntque greges captosque ad litora cogunt,
42 et donis cumulant aras, sertisque coronant
43 caeruleis, laetique canunt praesentia ponti
44 numina, et incurvo Thyasos in litore ducunt.
45 Despectans pelagi fluctus sic fatur Amilcon.

AMILCON.

46 Hunc nigris Hircum villis tibi mactat Amilcon,
47 intonsumque caput pinu velatus acuta
48 immolat ante aras hunc vasto corpore thynnum,
49 addit et hos, Neptune, sues, et pingua ponto
50 exta jacit sparsitque mero vada salsa rubenti.
51 Quod Methymnaeo solvens de litore secum
52 attulit ; hanc autem stricto mucrone juvencam
53 Nerinae Thetidi jugulat, lymphasque recentes
54 libat, et accensos libamina fundit in ignes.

55 Orta erta, et secum ducebat sidera Phoebe,
 56 et nos nigrantes Erebi de sedibus alas
 57 extulerat, caelumque ingenti involverat umbra.
 58 Procurvo Cres Eurydamas in litore dextram
 59 attollens, geminas stellis orientibus aras
 60 Alpino Boreae statuit, spargitque Hyacinthis
 61 purpureis, et thura adolet, cui candida lobis
 62 velleribus cadit agna : ferit sub gutture ventis
 63 Eois niveas pecudes et debita vota
 64 exsequitur, grates referens felicibus Euris.

EURYDAMAS.

65 Vos quoque, Amyclaei fratres, quibus alba quotannis
 66 agna cadit, cum vestra polo se sidera monstrant.
 67 Flectite ad haec mea sacra oculos : haec victima vobis
 68 corruit, haec geminae lucent in litore flammae.
 69 Subsequitur de more caput velatus Amilcon.

AMILCON.

70 Et tu, supremum numen mihi, cui freta parent
 71 omnia caeruleique habitantes aequora divi,
 72 et venti saevaeque hiemes, tu dirige nostras
 73 per pelagus, Neptune, vias ; da sistere portu
 74 naufraga vela volensque tuo nos numine serva.
 75 Interea, dum sacra ferunt solemnia nautae
 76 ventisque, Thetidique et litoreo Neptuno,
 77 aérios nitido Phoebe vaga lumine cursus
 78 torquebat, bigis residens, nec nubilus aether
 79 astrorum caeli rutilos obduxerat ignes,
 80 cul maeti nautae placidum mare navibus intrant.
 81 Ostendit quibus ipsa viam Latonia Luna,
 82 et Zephyrus per summa leves vehit aequora cymbas.

EGLOGA QUINTA.

AD FRANCISCUM ROBUSTERIUM TARRACONENSEM.

LIMNIACE.

P1_05 v.1 Egregium, Francisce, genus, cui conscia veri
 2 pectora sunt, qui sacra tenes, et civica jura,
 3 ne desis, dum pacato silet aequore pontus ;
 4 Limniacen neve ad litus contemne dolentem.
 5 Nocturnos stellarum ignes vix lucifer alto
 6 dispulerat, vix orta dies renovaverat orbem
 7 luce nova, dum ros madido de gramine nondum
 8 decutitur, sed adhuc reficit sua pignora tellus,
 9 et late redolent laetissima floribus arva,
 10 cum petiit maerens secretum Cnosia litus
 11 Limniace, quam mixta Amyco Lyrnessia Leuce
 12 connixa est furtim, multa qua pronus arena
 13 in pelagi tumidas raptim fluit Inachus undas.
 14 Tum mare prospiciens dubiisque incommoda ponti,
 15 hos quaestus secum fola meditatur arena.

16 Infelix virgo, liquit quam miles amator,
17 et praedas atque arma sequi, rapidosque calores
18 saepe pati longasque hiemes, et frigora brumae
19 maluit, et gelido captare sub aethere somnos.
20 Interdum tamen et belli furor impius et Mars
21 pacta pace silet, victor direpta reportat
22 hostibus arma domum ; mox sese ex ordine captos
23 accingit memorare Duces longoque vicissim
24 contusos bello populos superataque regna
25 dum memorat, nunc ante sui nota ora mariti
26 laeta sedet fruiturque viri sermone, nec ullis
27 exercet curis vitam nec pignora curat.
28 Et nunc maesta silet dubio in certamine conjunx,
29 vulnera dum bellique vices et proelia narrat.
30 Piscator pelago captat seu flumine pisces,
31 sive lacu stagnantis aquae ; cum vesper amictu
32 nigranti gelidae noctis se obnubit, ad urbem
33 cum praeda laetus properat : gravis inde revertens
34 aere domum parto fruitur cum conjuge cara.
35 Et visco qui fallit aves, seu retibus, et qui
36 vertithumum ferro incurvo, seu mollia falce
37 prata secat frugesque metit, cum sacra sacerdos
38 indicit populis, redeunt ad dulcia tecta.
39 In triviisque agitant choreas, quas aesculus umbra
40 ingenti tegit, et ramis frondentibus ambit.
41 Venator silvas prima sub luce fatigat,
42 involvitque feras laqueis aut comminus hasta
43 infensa aggreditur, moriens cadit illa repente
44 ante oculos ; juga summa petit vel saucia et altis
45 se condit nemorum jamjam moritura latebris.
46 At conjunx lecto carpit secura quietem.
47 Illae etenim laetus spoliis et caede ferarum,
48 fert sera se nocte domum, carosque penates
49 invisit, tenerisque diu complexibus haeret.
50 Infelix, quam pastor amat, cui flumina cordi,
51 et nemorum dulces umbrae, qui montibus aevum
52 exigit aut convalle cava lentusque sub umbra
53 populea pecudum numeros et signa recenset,
54 et modo pascit oves, viridi modo ludit in herba
55 agrestem calamis musam, modo ducit ad alta
56 flumina jam saturos herbosa in valle juvencos.
57 Exspectat tamen hunc residens in limine conjunx,
58 et lassum amplexu molli fovet. Ille sub altis
59 claudit oves stabulis dapibusque epulatur ad undam
60 fluminis, aut viridi in luco qua murmurat unda
61 frondentem subter pinum silvamque comantem.
62 Infelix illa ante alias, quam torquet amator
63 navita ! Nam seu frigus habet terrasque fretumque,
64 seu floret ver purpureum, seu messor in agris
65 maturas segetes tondet, seu colligit uvas
66 vinitor. Ille tamen laetus tenet aequora puppi,
67 miraturque novas alio sub cardine terras,
68 littoreis capiturque locis et gaudet ab alto
69 prospiciens humiles terras, atque in via Nerei
70 regna levesque maris volitare per aequora puppes,
71 oblitus patriam, et dilectae conjugis ora.
72 Quam ferus ille, minas pelagi qui primus et atro
73 turbine commotum sprevit mare seque procellis

74 miscuit : hunc Libycae genitum de stirpe leaenae
75 crediderim, Stygioque genus deducere ab Orco.
76 Quid prosunt mihi coralia ? Et tua munera quondam
77 Hesperio devecta sinu, quaque altus in aequor
78 se mergit late Ganges, ubi plurima toto
79 litore gemma micat vario perfusa colore ?
80 Immitis Celadon saeva aequora semper amabis,
81 et varios pelagi casus ? Jam vertitur aestas
82 altera, nec curas patrios invisere portus.
83 Care, redi, care o Celadon ! Tete tua conjunx
84 Limniace manet, et lentos suspirat amores :
85 "Nam mihi amara dies sine te, lacrimosaque nox est ;
86 vestis acu te picta manet, quam flexilis ambit
87 limbus, et intextis circum nitet alba figuris."
88 Cernere erit fluitantem undis ab Apolline Delum
89 firmatam, quae prima altis emersit ab undis.
90 Ut primum pater omnipotens subsidere pontum
91 jussit, et immisso nimbos Aquilone removi,
92 illic aspicias intacta per aequora puppim
93 evectam et Scythici tendentem ad Phasidis oras.
94 Puppe sedet procerum princeps, et ductor Iason ;
95 hunc juxta Agniades clavum regit, et vigil auras
96 explorat caeloque notat radiantia signa.
97 In medio ratis Alcides sedet arduus, omnesque
98 Argivos torvo proceres supereminet ore.
99 Quos inter cithara aurata dum personat Orpheus :
100 astrorum primos ortus, et semina rerum,
101 et mare seclusum terris, et ab aethere caelum,
102 subsidunt pelagi fluctus, et euntibus aerae
103 aspirant mitisque favet Deus aequoris alti.
104 Proximus his Euphemus adest, qui summa parentis
105 per freta Neptuni pedes incedebat, et auras
106 aequabat rapido cursu, cui non procul hasta
107 insignis gladioque haeret Sicyonius Actor.
108 Threicii in medio procerum stant agmine fratres
109 alipedes, quibus albentes cava tempora pennae
110 attollunt sese circum, quibus aera magnum
111 nubilaque alta secant rapidi, caeloque fruuntur,
112 caerulea per colla fluunt, per pectora crines.
113 Dependent pharetrae curvataque taxus in arcum
114 ex humeris, lateri Ismarius sine cuspidem mucro
115 dependet bullis circum insignitus et auro.
116 Ast alii juga longa tenent : hic Castora cernes,
117 Pollucemque simul, quos uno candida partu
118 Leda tulit, quorum contendere caestibus alter,
119 alter equos domitare bonus vel vincere cursu.
120 Queis radiant capiti galeae flammisque coruscant.
121 Ardentes stellarum apices argentea velant
122 tempora et aurato rutilat de vertice fulgor.
123 His se Deucalion comitem Gortynius addit,
124 et quique Jovi referebat avum, galeaque superbus
125 ex auro gerit Europam, Nymphasque vocantem,
126 caelestesque deas Sidonia marmora propter,
127 et tauri evectam Dictaea ad litora dorso.
128 Ipsa Argo ventis intacta per aequora fertur,
129 quam circum exsultant Nymphae, miratur et omnis
130 Neptuni chorus heroas, radiantia longe
131 arma ducum, fulvoque ratem proscindere rostro

132 hactenus ignotum miseris mortalibus aequor.
 133 Parte alia stupet aequoreis Neptunus in undis,
 134 miratus molem insuetam et data carbasa ventis,
 135 attonitusque haurit strepitum, dum marmora remis
 136 pulsa secant magni Heroes, dum remige forti
 137 Cyaneas superant cautes, et inhospita ponti
 138 aequora, et optato se tandem litore sistunt.
 139 Omnia quae quondam senior mihi retulit Agmon,
 140 dum mecum sedet ad litus curasque relictæ
 141 colloquio levat, atque inopem solatur et una
 142 exorat multis Nereia numina donis.
 143 Pergebat memorare suas malesana dolores
 144 Limniace ; sed Sol vetuit, nam luce supremos
 145 spargebat solita montes passimque sub ipso
 146 lumine splendebat tremulum mare, flabra vocabant
 147 perfusos somno vicino in litore nautas.
 148 Haec postquam de more preces pro conjuge fudit
 149 caelicolis, lacrimans sese ad sua tecta recepit.

ECLOGA SEXTA.

TELON.

P1_06 v.1 Orta dies sine nube polo fulgebat ab alto
 2 et rutilis Phoebus radiis curruque nitenti
 3 aureus Eois sese referebat ad undis,
 4 Adriacique minas pelagi, commotaque fundo
 5 aequora placarat passim Neptunus et omnem
 6 ventorum rabiem tenebroso clauserat antro
 7 Aeolus, et placidum subter mare pascua delphin
 8 carpebat virides algas et gramina nota.
 9 Non fragor auditur silvis, non litore curvo
 10 nigrantes ludunt fulicae, non bucula ventos
 11 captat, at ipsa hiemis secura in valle virentes
 12 nunc avido dumos morsu, nunc pabula tondet,
 13 cum procul adventare ratem per caerula cernit
 14 sublimes stans puppe Telon, dum prospicit altum
 15 aethera jam vacuum nimbis et murmure litus.
 16 Dum vero procurva legit loca concita puppis,
 17 arma Telon habitusque virum pictasque biremes
 18 novit et e puppi surgens sic infit ab alta :
 19 "O ratis ante alias felix, quae spumea verrunt
 20 caerula, quae pelago tecum mea gaudia defers,
 21 et magnas Orientis opes, et Lydia regna.
 22 Tu pelagi decus omne, Deum tu munera tecum
 23 sola vehis, tu digna magis quam nobilis Argo
 24 sidereis inter caeli splendescere cursus.
 25 Quamvis illa duces et Graiae robora gentis
 26 Phasidis ad ripas perduxerit Aeeteas,
 27 quamvis illa foret divae fabricata Minervae
 28 auxilio, jussuque vagi prope flumen Anauri,
 29 quae posset tumidis Neptuni obstare procellis,
 30 et canere instantes subjecta per aequora casus,
 31 venturasque hiemes pelago, nisi candida Circe
 32 flebilis Absyrty crudelia fata piasset.

33 Nec classi invideas Phrygiae, quae, per freta longa
 34 cum vetitos peteret thalamos, abduxit ab oris
 35 Taenariis Argivam Helenen ; licet illa Lacaenas
 36 Iliacasque nurus niveo candore comaque
 37 per roseos diffusa humeros superaret, et ore
 38 egregio summoque foret Jove nata parente,
 39 et sola Argolicas ad proelia cogeret urbes.
 40 Non tamen inferior forma est pulcherrima Leuce,
 41 quam vehis Adriaci pacata per aequora ponti
 42 incolumem in patriam tepidi sub tempora veris.
 43 Cymothoe forma inferior, te iudice, Triton,
 44 est tua, si te vera loqui sinit igneus ardor.
 45 Nereides, quarum domus est mare, dicite Nymphae,
 46 dicite vos ; vidistis enim, dum rector Olympi
 47 Juppiter in faciem tauri mutatus, ad urbes,
 48 (qua rapido resonat fluctu Gortynia tellus)
 49 Sidoniam veheret fraterna per aequora praedam,
 50 quae fuerit Jove digna magis. Tuque humida ponti
 51 cui freta subjiciunt sese magnique fluenta
 52 Oceani, Neptune pater, postquam alta fatentur
 53 caerulea te regem, salsos an pulchrior ulla
 54 intrarit fluctus curva rate, dic mihi, nec te
 55 Tritonum comitante choro. Glaucique juvena
 56 addere paeniteat comitem tua per vada puppi.
 57 Nam Leuce quacumque tulit se, protinus omnes
 58 collectae fugiunt nubes et flamina ponunt.
 59 Quacumque illa pedum vestigia rettulit, omnis
 60 ridet ager resonantque avium concentibus agri ;
 61 et seu sola tenet silvas, seu frondea ruris
 62 tecta subit, haeret lateri dea Cypria nec non
 63 dulcis amor : Dryadum illecebris qui ferrea mulcet
 64 pectora et accendit tacitis praecordia flammis.
 65 I, felix Leuce, dignos sortita Hymenaeos.
 66 Serta rosis intexta recentibus afferet Aegle,
 67 Aegle littoreis cantu notissima silvis.
 68 Nec non indigenae tibi rustica dona coloni
 69 sponte ferent patriisque canent connubia laeta
 70 carminibus primisque onerabunt frugibus aras.
 71 Haec memorat dum pauca Telon, lituumque tubarumque
 72 ingens exoritur vicina ad litora clangor,
 73 et pelagi cava saxa sono pulsata resultant.
 74 Nec mora detorquet clavum, suspensaque solvit
 75 vela Telon, maestusque novem petit ora Timavi.

ECLOGA SEPTIMA.

LEUCON.

Pl_07 v.1 Ducebant noctem jam sidera plenaque Phoebos
 2 Luna renidenti terras vestibat amictu
 3 claraque nox passim radianti luce rubebat
 4 ceu primo sub sole dies, cum dulcia Leucon
 5 liquit Amyclaeus dilectae litora Cretae.
 6 Ille, dolens curaque animum labefactus inani,
 7 accipit haud oculis noctem, sed maestus acerbo
 8 discessu celerique fuga se torquet amaris

9 questibus, et lacrimans mortem jam pallidus orat.
10 Mox ait : heu qui me primis malus error ab annis
11 abstulit, et tenebris mersit stagnantis Averni.
12 "En velut exsul agam noctesque diesque per aequor,
13 nec reducem patria ulterius me Creta videbis :
14 discessu mea lingua silet, suspiria mentem
15 eripiunt, largoque tument mea lumina fletu,
16 atque anima invalidum corpus jam lassa relinquit.
17 Heu, quanto magis illius nunc torqueor igne,
18 me tanto magis in lacrimas jubet ire Cupido.
19 Quid mirum ? Magis ardet amans cum litus amatum
20 deserit atque novas invisere cogitur urbes.
21 Quid referam ? Non carmen amor, non gramina curat,
22 sed ridet lacrimas, sed funere gaudet amantum.
23 Ille senex vetus est, molli lanugine quamvis
24 fulgentes malas non vestiatur : ille nitenti
25 occupat et faciem praeduraque corpora fuco,
26 et sese puerum fingit, furtimque medullis
27 haeret, et arridens letali armata veneno
28 tela jacet, tacitoque petit praecordia ferro ;
29 et ludens ignem manibus gerit ossaque torret.
30 Ah ! quantum illa fuit crudelis, et improba, cum me
31 deseruit, miserosque sequi Stimiconis amores
32 ausa fuit, cui nulla domus, cui nulla supersunt
33 pascua, non ullae pecudes, sed pascit Amyntae
34 armenta ad ripas, qua spumeus errat Oaxes.
35 Cuique color niger est tristisque aspectus, et illam
36 detinet insignem facie, cui mollia colla
37 sunt niveis puro candore aequanda ligustris.
38 Et licet ille rudi confisus arundine valles,
39 Idaeumque nemus resonet, tamen illa canentem
40 miratur, tollitque rudes super aethera cantus.
41 Ille meis fruitur donis et dulcia miscet
42 oscula securus recubans, non amplius illa
43 me tenet in gremio, sed me et mea munera temnit.
44 Heu, qui te, miserande, furor consumit et omnem
45 abstulit, hei, misero mentem exanimumque relinquit.
46 O felix, quem Sol oriens prospectat euntem
47 cum grege in herbosos saltus, dum cantat amores
48 Naiadum, pascitque greges, et laetus amantis
49 colloquio, superis non invidet, at petit amnem
50 Oceani emenso cum jam defessus Olympo.
51 Illum prospectat redeuntem in dulcia tecta.
52 Mane novo vocat in silvas ; sed me tenet aequor,
53 sive calore gravi premitur, seu frigore tellus.
54 Ah, saltem ad patrias mea corpora naufraga sedes
55 unda vehat, Leuciae alta domus qua spectat in undas.
56 Me fors in gremio accipiet miserata dolentem,
57 nec roseis parcatque genis tenuique capillo,
58 et lacrimas dabit interdum, dabit oscula rursus ;
59 et lecto arsurum misero maestissima ponet,
60 et forsant tumulum statuet, plenaque rubenti
61 flore manu cineres sparget : non illa fub alto
62 corde gerit rigidos silices, non efferat tigris
63 hanc genuit. Caput attollit qua Medus Araxes
64 et maris Hyrcani, rapido pede fertur in undas
65 quid mirum ? Si me incautum primaque juvena
66 vicit amor, qui saepe Jovem et caelestia vicit

67 numina, caeruleosque deos, volucresque ferasque.
68 Imperio nam regna tenet, quacumque videt Sol.
69 Quid dicam ? Tacitis accendit agrestia curis
70 armenta, indomitaque coquit corda aspera flamma.
71 Indignans secum assuetas avertitur umbras,
72 fluminaque, et lenes somnos, et pascua taurus
73 errantem quaerens alta in convalle juvencam,
74 inventaque dies totos sine gramine condit.
75 Atque illam sequitur, quoquo vestigia ponit ;
76 bellaque saepe movet cara pro conjuge, et armos
77 durat ad horribiles pugnas, nec vulnera vitat.
78 Et pelagi fera monstra ineunt pro conjuge pugnas
79 aequoreos subter cursus vitamque relinquunt
80 fluctibus in mediis, nam saepe ego mortua vidi
81 corpora per pelagi placidos fluitantia tractus
82 vere novo, cum saevit Amor, cogitque natantum
83 omne genus ruere in furias ignemque sub altis
84 aequoribus : sed quis valeat tua tela, Cupido,
85 effugere ? Aut aliquem curis imponere finem ?
86 Ah, demens, ubi sum ? Supremane fata propinquant ?
87 Non ita. Namque iterum repetam Gortynia rura,
88 artemque remosque tibi, Neptune, reponam ;
89 Idaeosque petam saltus, ubi candida Leuce
90 lustra per, aut per aperta feras fugat aequora cursu,
91 aut lepores juga summa leves patriosque per agros
92 insequare, et parto donabo munere Leucen.
93 Atque ibi jam venator apros venabor, et altis
94 suspendam ilicibus victor capita hirta ferarum,
95 illa meos alta aspiciet de rupe labores.
96 Quid dicam ? Forsan nostri miserebitur ultro,
97 vel poterit forsans precibus mitescere nostris.
98 Quid tum ? Si capta est Siculi Stimiconis amore ?
99 Ipse amor instabiles animos dat amantibus, illosque
100 acribus involvit flammis, nunc subdita solvit
101 pectora, nunc revocat veteres in pectora curas.
102 Dum Venus insano Martis flagraret amore,
103 optatos Mars saepe toros et amata revisit
104 hospitia. At postquam venantem vidit Adonin
105 in silvis Venus ipsa, alios jam percipit ignes
106 invisumque abolere cupit de pectore Martem.
107 Successit nova cura deae : Mars turbidus altas
108 Strymonis incoluit ripas Rhodopeiaque arva.
109 Interdum Phrygii Anchisae non immemor Idam
110 incolit alma Venus, mollique in gramine dulcem,
111 inter et amplexus ducit malesana soporem ;
112 quin etiam Phoebi soror, Endymione relicto,
113 Pana fovetdulci amplexu ; mox Pana relinquit,
114 et gremio Endymiona fovet miserata dolentem.
115 Dum vero haec recolit, longe freta mota reclamant,
116 et praeceps Notus aequoreis immurmurat undis.
117 Tunc Licmon qua ventus agit per caerula puppim
118 vertit iter, secat illa altos interrita fluctus.
119 Monstrat enim Fortunus iter Panopeaque furtim
120 impulit errantem pelago portuque locavit.

ECLOGA OCTAVA.

AEGLE.

AEGLE, TELETHUSA.

Pl_08 v.1 Alcimede, veterisque nurus Telethusa Lycormae,
 2 et Siculi Stimiconis amor (jam nubilus) Aegle
 3 Taenarias iter ad fauces prope curva tenebant
 4 littora, qua patrio surgunt de marmore templa
 5 Taenario sacrata Jovi, cui maximus aras
 6 tingit odoratas nigranti tergo taurus.
 7 Illae ubi pro caris solverunt debita vota
 8 conjugibus, quos Neptunus servarat ab undis
 9 Ioniis, secuere viam, qua litus amarus
 10 contingit pelagi nemoroso tramite fluctus.
 11 Tunc Aegle socias sic est affata silentes :
 12 "O comites, quas a teneris ego semper amavi,
 13 et quibus ipsa meos nudavi semper amores,
 14 me miseram tenet alter amor, animoque recursat
 15 cura recens uruntque graves praecordia flammae.
 16 Nam patriis notus pastor Meliboeus in oris,
 17 Taygeti cui mille greges pascuntur in altis
 18 verticibus totidemque imis in vallibus agnae,
 19 assiduis poscit precibus connubia nostra.
 20 Hunc magnae cum sacra Pali solemnia ferrent
 21 pastores, templi ante fores mihi Nisa sedentem
 22 monstravit forma egregium, et juvenilibus annis.
 23 Isque ubi me Lycidae tendentem ad pascua vidit,
 24 palluit, erubuitque simul, comitesque reliquit
 25 et nos a tergo est per florea prata secutus.
 26 Mecum erat Alcyone soror, et nova nupta Medontis.
 27 Quid dicam ? Miser ille dies noctesque sub umbras
 28 vicini nemoris solus spatiatur, et omnem
 29 oblitus pecoris curam, me observat euntem
 30 luce nova ad Coriti fontes, et nocte paternam
 31 ante domum veniente sedet : sic proxima nostris
 32 culminibus mihi nuper anus Lyrnesia dixit.
 33 Nunc Stimicon meus ignis abest, qui per freta ponti
 34 armatos Lyciae pedites Orientis ad oras
 35 vexit, et in patriam rediturum rettulit Agmon,
 36 transierint concreta gelu cum frigora brumae.
 37 Vos testes, quae dona mihi pulcherrima dudum
 38 attulerit, cum Sidoniis remeasset ab oris.
 39 Quin (nostri memor) extremo mihi munera misit
 40 lecta mari, quae Threicius puer attulit Haemon.
 41 Sed tantum non dona movent, quantum ipsa jugali
 42 in thalamo moror, et dulci Stimiconis amore.
 43 Quid faceres, Telethusa ? Premunt hic munera amatis
 44 atque amor, et carae toties promissa parentis.
 45 Parte alia (nam vera loquar) Meliboeus amari
 46 dignus et hic, cui multa soli sunt jugera, quique
 47 me solam (ni fallor) amat, cui gratus in ore
 48 est color intonsumque caput, nec lumina laevi
 49 fronte notant agrestem animum ; licet inter opaca
 50 Taygeti juga sit genitus, laetasque canendo

51 inter oves primos florens expleverit annos."
52 Tunc Telethusa refert : "Anima mihi carior, Aegle,
53 quis divum cuicumque velis te posse jugali
54 connubio sociare vetat Stimicone relicto ?
55 Exanimum hunc pelagi turbata per aequora forsan
56 fluctus habet, ventique truces morientia versant
57 corpora per rapidos fluctus, percussaue fluctu
58 litora, vota deum dum tu persolvīs in acta.
59 Nec data saepe tuae sine te promissa parentis
60 ulla movent, tu sola etenim connubia firmas.
61 Ipsa ego quot mala sum noctes perpessa, diesque,
62 (annus enim tum me bis senus coeperat Aegle)
63 ex quo sum nautae taedas experta mariti.
64 Quis nescit ? Meus Hippocoon nunc tendit ad ortus,
65 et modo ad occasum solis, modo torquet ad oras
66 Cannibalum longos immensa per aequora cursus.
67 Cum vero in patriam rediit, navalia primus
68 arma parat, quassamque ratem et languentia curat
69 corpora, sed cum jam Zephyri levis aura per aequor
70 auditur, tranquilla tenet trabe marmora primus.
71 Semper amat sese surgenti opponere fluctu,
72 ignotosque maris gaudet penetrare recessus.
73 Tantus amor pelagi : tunc me sine conjuge soles
74 aestivi longaeque hiemis sine conjuge noctes
75 in tenebris mersam aspiciunt ; nec fingere crinem,
76 caeruleave licet, niveave invisere palla
77 solemnes Superum ritus, vel proxima nostro
78 templa mari, miseram tantus gravis urget amaror.
79 Quinetiam mersasque rates submersaque ponto
80 corpora saepe virum si quis novus advena narrat,
81 vel quoties caelo strident venti, vel mare ventis
82 tollitur, et gemitus pelagi late insonat Euro,
83 ossa quatit toties gelidus tremor oraque pallent
84 frigore, et assiduis membris sese implicat horror.
85 Quid prodest ? Si rara domum fert munera conjunx
86 Oceani devecta sinu ? Qua concolor auro
87 sol oriens sese Eois attollit ab undis
88 et varios memorat ritus, inventaque nuper
89 tot maria, et nostris incognita sidera nautis.
90 Alcimede, dic cara comes (nam te quoque versat
91 sors eadem) dic, nonne tuus Chorineus Acarnan,
92 et Phlegyas pelagique minis assuetus Helenor,
93 et Tegeaeus Eryx Libyae occubuere profundo ?
94 Sed miseram dolor angit ; habet nam pignora secum
95 Hippocoon, maria alta docet quae currere, et alti
96 noscere signa poli ventosque, et inhospita ponti
97 aequora, tranquillosque dies hiemesque futuras.
98 Quid tum ? Si patrias artes vorat unda retortis
99 vorticibus, natosque simul, nec pignora matri
100 flere licet, nec jam pelagi moritura sub undis
101 cernere, nec tumulo cineres decorare recenti.
102 Quare, age, connubio juvenem conjunge volentem,
103 cui tot oliviferi colles, tot pascua, totque
104 Taygeti juga celsa greges armentaque pascunt.
105 Tu gelidos inter saltus silvasque soporem
106 saepe levem secura petes, nunc laeta recumbes
107 conjugis in gremio, viridi vel in ilicis umbra,
108 gramineove toro, vitreus qua fundit in aequor

109 Eurotas virides inter vaga flumina lauros.
 110 Ille suos laetus patriis in saltibus ignes
 111 nunc tenui stipula, dulci modo carmine ludet.
 112 Et circum vos verna puer, parvusque Palaemon,
 113 atque alii, quos saepe juvat frondente sub umbra,
 114 et calamis certare, et agresti dicere Musa
 115 astabunt, totosque dies per carmina condent."
 116 Impulit his animum dictis Telethusa labantem,
 117 saevit et ardentem accensa in virgine curas.
 118 Illa alacris fert nota leves per litora gressus,
 119 suspiransque oculos ad summa cacumina torsit
 120 Taygeti, qua dives agris Meliboeus amator
 121 innumeras solita pecudes pascebat in umbra.

ECLOGA NONA

PROGNOSTICA.

THRASIMENUS, PERIPHAS.

P1_09 v.1 Oceano in magno, qua Sol jam pronus apertos
 2 prospectat pelagi campos, jacet insula dives,
 3 argentique aurique ferax, quae regna feroces
 4 Cannibali ditione tenent, etproxima bello
 5 regna acri invadunt miscentque in littore pugnas.
 6 His Periphias, Thraxque Automedon, Thrasimeneus et Actor,
 7 litoribus nuper tumidis Aquilonibus acti
 8 appulerant, cum tristis hiems currentia sistit
 9 flumina, et aggeribus niveis jacet obruta tellus.
 10 Tunc hiemis memor haec puppi Thrasimeneus ab alta :
 11 "Nos, inquit, miseros per tanta pericula nautas
 12 indomiti maris unda vehit : nunc aequora largo
 13 imbres tument, nunc assiduis pulsata procellis
 14 attollunt vastos caeli per inania fluctus.
 15 Et si forte tenet portus ratis acta per aequor,
 16 aut fractos Aquilone legunt in litore contos,
 17 aut validis infracta notis cava vela, vel alto
 18 gurgite submersos comites in litore deflent
 19 servati nautae ex scopulis pelagoque tumentii."
 20 Tunc Periphias : "Vasti haud equidem, Thrasimene negabo,
 21 incertas maris esse vias, nec fidere quemquam
 22 posse salo : placidum ventis , et murmure rauco
 23 stet licet, et nullae volitent super aequora nubes ;
 24 sed si nauta notat cursus ortusque recentes
 25 stellarum, ac caeli morem, pelagique vicissim
 26 murmura, spirantesque Notos, aut caerula Phoebi
 27 lumina, dum tremulo nitidum jubar aequore tollit,
 28 ille viam maris invadet, tutusque per alta
 29 aequora vela dabit puppemque in litore sistet
 30 innocuam ; sed nos quanto magis unda reclamant
 31 ad litus saevitque fretis plangentibus Auster,
 32 impavidi tanto magis aequora salsa tenemus,
 33 sive hieme in media, seu cum Canis aestifer alto
 34 sese aperit caelo et rapidis coquit aequora flammis.

35 Oceani tota Nautes notissimus unda,
36 jam senior, sese pelagi non saepe periclis
37 jactatum, aut Borea memorat, dum noxia servat
38 sidera, et errantes circum surgentia nubes
39 lumina siderei Solis, quae signa licet sint
40 nota satis, nonnulla tamen memorare juvabit.
41 Nec minus astrorum servabit navita cursus
42 quam bonus incurvo dum terram exercet aratro
43 agricola, et sulcis vites atque hordea terrae
44 committit, cantusque avium non spernit et ima
45 exsultans in valle pecus ; queis flamina et imbres
46 praediscit, cratesque domum, et juga panda reducit,
47 seminaque et sese tectis tenet, aspera donec
48 desaevit grando campis atque impetus Austri.
49 Ille mihi praecepta dabat pulcherrima Nautes :
50 imprimis Thrasimene dies, duodenaque serva
51 sidera perpetuo caeli labentia cursu.
52 Namque Haedi madidaeque Hyades se tempore condunt
53 autumnii, quorum sunt noxia sidera ponto,
54 nimboseque diem contristat sidere surgens
55 Orion, nautasque simul, simul abdita silvis
56 umbriferis stagna alta ; simul quoque et hispida turbat
57 monstra maris, placidoque habitantes marmore nymphas
58 Pleiadas ortuque suo praedicere certum est
59 indignas tempestates, et fulgura ponto.
60 Hi celeres astrorum ignes se tempore veris
61 ostentant, atque autumnii se tempore condunt.
62 Vere novo redeunt iterum, cum Taurus olympto
63 conspicitur tepidumque aperit mortalibus annum.
64 Sol etiam cum se fessum perfundit amatis
65 fluctibus et verso pelagi sub gurgite cursu
66 Oceani se tollit aquis, si lumine puro
67 vestit humum caelique domos Neptuniaque arva.
68 Totus erit sine nube dies, si pallidus ora
69 exoritur, vel si picea se nube recondit,
70 vel nitido vultu geminos incluserit orbes,
71 aut pelago exoriens tenui se lumine tollit,
72 aut radii inter se coeant caligine, nubesque
73 oppositas certant immissa erumpere luce.
74 Tunc passim saliet grando per transtra forosque,
75 et tempestates Auster glomerabit aquosas.
76 Igneus at fulgor si lucida texerit ora,
77 frustra contemnent ventos vada salsa furentes.
78 Namque Aquilo fremitu assurgens mare volvet, et undas
79 eriget ad caelum, revolutaque per freta puppes
80 in scopulos aget, aut violento in gurgite merget.
81 Et ratis everso fluitabunt fragmina ponto.
82 Si rutilae solem nubes, cum mergitur alto,
83 circumstant, circumque citae vaga lumina ludunt,
84 aut illum a tergo comitabitur aurea nubes,
85 expectent nautae Zephyros et carbasa tendant.
86 Ipsa etiam caelo exoriens te luna docebit
87 tempore quo mare conveniat proscindere nautis ;
88 nam sese tollit cum primum luna coruscis
89 cornibus et laete rubro nitet ore per altum
90 aethera, et incedit recto per inania cornu,
91 discordes magno confligent murmure venti.
92 Si vero nebulae nigro infuscatum amictu,

93 postquam se terno terris ostenderit ortu,
94 aut hanc tergeminus nigranti nube coronat
95 circulus, aut tenui collustrat lampade noctem,
96 fervere conspicies Euro maria alta furenti,
97 et ratis infestos ruptis compagibus imbres
98 accipiet, brevibusque vadis inflictata recumbet,
99 nauta metu tumidis duplicabit vota sub undis.
100 Lucida quinetiam ventos praedicere nautis
101 astra solent, cum pacato discurrere caelo,
102 ac veluti volitare atra sub nocte videntur.
103 Sidera cum vero pallent, nec turbida lumen
104 sidereum nubes hebetat, nec luna corusco
105 lumine, sed fulgent veluti perfusa nitenti
106 lampade surgentis Phoebi : tunc maximus imber
107 nubibus erumpet sese pluviaque madescent
108 carbasa, et oppositas torrentia flumina moles
109 evincent secumque avulsis stirpibus alnos
110 in vada salsa trahent, rupis se fornice condent
111 pastores, maestique gregem atque armenta videbunt
112 in mare turbatum ferri, nec ferre supremum
113 auxilium miseri poterunt. Si discolor iris
114 ostentat sese, quam duplex occupat arcus,
115 nuntiat instantes pluvias ; et si mare subter
116 auditur longe tacitus fragor, adfore ventos
117 nuntiat, et toto crepitabunt aequore nimbi.
118 Si caelo niveae (ceu lanae vellera) nubes
119 sparguntur, vel condensae facto agmine montes
120 conscendunt, ruet Austrino de vertice largus
121 imber aqua undanti mixtus ; sed si juga linquunt
122 alta petuntque cavas devexo tramite valles,
123 procedent sine nube dies, sine turbine noctes.
124 Quinetiam Delphin turbans placida aequora rostro,
125 objectansque cavo rigidum sub gurgite dorsum,
126 nimbosos hac parte Notos vocat, et sua signa
127 dant ponto aequoreae volucres ; nam marmora linquunt
128 vicinumque petunt litus siccoque residunt
129 litore, et ingeminant querulas per litora voces,
130 cum mare misceri nimbis aut flamine norunt.
131 Tales sunt pelagi nantes super aequora mergi,
132 et cornix corvique gemunt cum marmora propter,
133 quin fulica exspectat pennis crepitantibus imbres
134 aut tardo incedit gressu ceu tristis arena.
135 Sunt etiam parvae alcyones, quas caerula signis
136 pluma notat rutilis niveoque aspersa colore ;
137 hae longo captant pisces super aequora rostro,
138 letiferamque famem pellunt et tempore brumae
139 suspendunt scopulis et acuto in murice nidos ;
140 dumque foveant natos, pelago non ingrui Auster,
141 non pluviae, freta lata silent, ceu mitis in alta
142 abdita valle palus. Sed maximus imminet imber,
143 cum pandunt geminas in apricis cautibus alas,
144 aut mixtae fulicis ad amoeni fluminis undam
145 assiduo veteres renovant clamore dolores.
146 Tu vero memor haec imis, Thrasimene, reponas
147 sensibus, ipse Thetin quoties tentare biremi
148 puppe paras, tumidique maris te offerre periclis.
149 Quinetiam post pulsam hiemem solemnia divis
150 sacra refer, quibus est vasti gens credita ponti.

151 Lydius haec Periphas caro memorabat alumno,
 152 dum pelago saeviret hiems atque aspera grando,
 153 nec sese rapidis auderent credere ventis.

ECLOGA DECIMA

AD JULIUM TERTIUM PONTIFICEM MAX.

TARCON.

P1_10 v.1 Hanc etiam mihi, Nereides, concedite partem,
 2 quae colitis mare purpureum et regna humida Nerei.
 3 Seu vos Carpathius divi no carmine vates
 4 detinet, et Divum venientia fata recludit ;
 5 seu vos per freta salsa choros agitatis ad amnem
 6 Oceani, cum vere novo fert caerula gressum
 7 Oceani maris in thalamos Neptunia conjunx,
 8 et pelagi Nymphas et amatam Dorida matrem
 9 invisit sub casum hiemis, postquam aequora nautis
 10 dant venti tranquilla, furit neque turbida ponto
 11 tempestas, sed tutus arat trabe navita pontum.
 12 Vos, Zephyri, quibus agna cadit de more quotannis
 13 sub veris tepidos soles ad flumina Clusi,
 14 qua vitreis mea te genitrix rigat Asula lymphis,
 15 adsitis, lacrimans dum tristi e pectore Tarchon
 16 erumpit vocem gemitusque effundit amaros,
 17 Illyricus Tarchon dilecti in funere Tusci
 18 Memnonis Eridani ad ripam ; namque hic quoque vestro
 19 numina dignus erat, vitam dum fata sinebant
 20 hunc trahere, et validis impellere caerula remis.
 21 Hoc tibi maerentes nautae struxere sepulchrum
 22 ad litus maris Adriaci, carissime Memnon,
 23 et patrio de more rogam posuere dolentes,
 24 te positum procul a patria dulcique tuorum
 25 complexu lacrimisque piis, nunc te tua conjunx
 26 Leucothoe flet scissa comam, flet scissa capillum
 27 Nisa soror, Clymeneque parens, et tristia ducunt
 28 funera Tyrrheni, prope marmora nota profundi,
 29 incenduntque graves vicina ad litora luctus.
 30 Hic tuus Etruscis venit de partibus Actor,
 31 ac Liger Oceani tota notissimus unda,
 32 et Tusco miseranda dolent tua funera cantu.
 33 Amphidamas spargit casiamque crocumque comantem,
 34 pallentisque hederæ contexta ligustra corymbis.
 35 Praeterea hos tumido fractos Aquilone rudentes,
 36 cumque gubernaclo saevis erepta procellis
 37 carbasa relliquias fractae ratis Actius Alcon
 38 funereas jacit in flammis, maestusque recentem
 39 ad tumulum facros mactat Chorineus honores.
 40 Ipse tuos vocat Ucalegon prope litora manes,
 41 extaque in aequoreas Serranus porricit undas.
 42 Ipse Acamas spargit veteri vada salsa Lyaeo,
 43 thuraque reddit Acon cineri, et tua facta recenset

44 Alcyones maestae, trepidique per aequora mergi,
 45 et mixtae corvis fulicae certissima cantu
 46 signa dedere suo : luctus praedixit acerbos
 47 hos mihi, dum queritur gemitu prope litora delphin
 48 et gratos olim cantus non curat avenae.
 49 Saepius et Triton media super aequora nocte
 50 insonuit concha, Proteique armenta vicissim
 51 nocturnos duxere choros sonitumque dedere
 52 percussae secum magnis clamoribus undae.
 53 Mirabar strepitum insolitum scopulosque sonantes.
 54 Perfractasque simul pulsata per aequora voces.
 55 Hic solus nos edocuit, quo numina ritu
 56 sint pelagi placanda, truci quae victima vento
 57 conveniat, nigraeque hiemi , Zephyrisque secundis.
 58 Cur vinclis antro frenet pater Aeolus Austros,
 59 et picea rapidas cum tempestate procellas ;
 60 quique ratem primus ventis, et linea vela
 61 crediderit, remosque rudes et nautica primus
 62 arma rati addiderit, miserisque incognita Nautis
 63 sidera stellantis vigil observavit Olympi.
 64 Quis referet posthac, quae noxia nubila ponto
 65 immineant, vel signa oriens quae mittat Orion ?
 66 Quidve ferat sol exoriens, quem candida condunt
 67 nubila ? Quidve cadens rutilo denuntiet ore ?
 68 Quis Nymphas posthac pelagi canet ? Aut quis amores
 69 Tritonum cantu referet carissime Memnon ?
 70 Te quoties cantante chori siluere natantum
 71 Nereidum, quotiesque tuo Neptunia cantu
 72 numina placatum pelagi placere per aequor,
 73 visaque sunt toties dulcedine curva moveri
 74 litora, et aequoreis scopuli motare sub undis.
 75 Vos circum pelagi suspiria ducite rupes,
 76 antraque et humentes subter freta caerulea rupes.
 77 Vos etiam scopuli, vos spumea litora, vosque
 78 Tritones, Nymphaeque maris deflete jacentem
 79 Memnona, qua resonans Venetum ferit Adria litus.
 80 Tu quoque quae nostris respondes vocibus, Echo,
 81 alternis lacrimosa sonans haec carmina tristi
 82 voce refer, mecum alternis suspiria junge.
 83 Vos pelagi rupes, vos litora, vos loca ponto
 84 Perfractasque simul pulsata per aequora voces.
 85 Hic solus nos edocuit, quo numina ritu
 86 sint pelagi placanda, truci quae victima vento
 87 conveniat, nigraeque hiemi, Zephyrisque secundis.
 88 Cur vinclis antro frenet pater Aeolus Austros,
 89 et picea rapidas cum tempestate procellas ;
 90 quique ratem primus ventis, et linea vela
 91 crediderit, remosque rudes et nautica primus
 92 arma rati addiderit, miserisque incognita Nautis
 93 sidera stellantis vigil observavit Olympi.
 94 Quis referet posthac, quae noxia nubila ponto
 95 immineant, vel signa oriens quae mittat Orion ?
 96 Quidve ferat sol exoriens, quem candida condunt
 97 nubila ? Quidve cadens rutilo denuntiet ore ?
 98 Quis Nymphas posthac pelagi canet ? Aut quis amores
 99 Tritonum cantu referet carissime Memnon ?
 100 Te quoties cantante chori siluere natantum
 101 Nereidum, quotiesque tuo Neptunia cantu

102 numina placatum pelagi plausere per aequor,
 103 visaque sunt toties dulcedine curva moveri
 104 litora, et aequoreis scopuli motare sub undis.
 105 Vos circum pelagi suspiria ducite rupes,
 106 antraque et humentes subter freta caerulea rupes.
 107 Vos etiam scopuli, vos spumea litora, vosque
 108 Tritones, Nymphaeque maris deflete jacentem
 109 Memnona, qua resonans Venetum ferit Adria litus.
 110 Tu quoque quae nostris respondes vocibus, Echo,
 111 alternis lacrimosa sonans haec carmina tristi
 112 voce refer, mecum alternis suspiria junge.
 113 Vos pelagi rupes, vos litora, vos loca ponto

LAURENTII GAMBARAE POEMATUM LIBER SECUNDUS.

ECLOGA VENATICA.

Theron Venator, sive Illustrissimus Balduinus Monteus.

P2_01 v.1 Etruscus viridi Theron consederat herba,
 2 et solem ardentem densa vitabat in umbra,
 3 qua liquidis fluit Arnus aquis per pingua culta,
 4 hunc nemorum Nymphaeque colunt facilesque Napaeae,
 5 hunc omnis venator amat, huic Delius ipse
 6 Arcitenens Lyciam pharetram, volucresque sagittas
 7 puniceisque intexta novis nova retia pennis,
 8 ingeniumque dolosque, atque abdita lustra ferarum
 9 scire dedit, cursuque leves praevertere cervos.
 10 Tunc gnatum ad sese Theron vocat Eurymedonta,
 11 quo silvis non alter apros sectetur in altis
 12 notior aut magno Nymphas mage torqueat igne,
 13 Dictynnae comites Nymphas. Mox talibus illum
 14 alloquitur : "Mi nate, tui cape dicta parentis.
 15 Dicam etenim venantum habitus, atque arma canumque
 16 progeniem, nec non venandi tempora ponam.
 17 At vos, dum gravis aestus habet nemus omne, soporem
 18 carpite. Tu mecum, Eurymedon, conside sub umbra.
 19 Venator, quem cura tenet noctesque diesque
 20 prata sequi per aperta feras, sit fortis et acer,
 21 sit membris et mole valens rapidusque, nec ulla
 22 pestis edat florem aetatis roburque juventae,
 23 et placeat mage qui duro sub Marte labores
 24 pertulerit, vel qui nitidam exercere palaestram
 25 sit solitus primamque fuga meruisse coronam,
 26 aut longe jaculum valido intorsisse lacerto.

27 Talem amat arcitenens Phoebe, et Latous Apollo ;
28 talis erat Triviae quondam dilectus Orion,
29 et Castor Polluxque, canes qui primus in altas
30 Taygeti immisit silvas canibusque fugaces
31 Spartanis domuit capreas, victorque superbis
32 postibus affixit capita et spolia hirta ferarum.
33 Saepe etenim per summa levis juga pinea montis
34 insequitur celeres damas aprosque feroces.
35 Et nisi servet agens cursu vestigia praedae,
36 illa iterum fugit in silvas, fallitque sequentem,
37 venatorque sequens non praedae aspirat opimae.
38 Saepe etiam prope lustra feras exspectat, et ipsas
39 comminus aggreditur telo, sternitque, fugatque ;
40 aut tingit virides undanti sanguine lucos,
41 et rapidis lanianda feris sua corpora linquit.
42 Sidera quinetiam certis orientia signis
43 illum saepe juvant, vehemens quem compulit ardor
44 noctemque nimbosque pati, solemque nivesque,
45 et duram tolerare famem. Modo saeva ferarum
46 agmina turbat agens, silvis modo retia tendit.
47 Hanc vitam in silvis agere et contemnere regum
48 divitias, plaususque patrum caelestia suadent
49 sidera et auratis praeferre mapalia tectis.
50 Praecipue Leo nascenti si fulserit ortu,
51 effusus per colla jubas, per terga minaces.
52 Hic non invitus solerti indagine silvas
53 incinget, nec ferre plagas ac tela negabit.
54 Quam juvat hunc pedicis celeres involvere damas
55 et praedae exuvias foribus fixisse sub altis.
56 Hic spoliis cervi arboreis cum cornibus ornum
57 induit et ramis ursi frondentibus aptat
58 setigerum caput, et captas longo ordine praedas.
59 Haud secus exsultat, quam si procul hoste fugato
60 insignes ageret victor media urbe triumphos.
61 Praeterea tibi sit simplex atque asper amictus,
62 non lusus, non pictus acu, non textilis auro,
63 non sit versicolor, Tyrio non ardeat ostro.
64 Commoda quae fuerit viridi saturata colore
65 vestis erit, (ni fallor) amant viridantia talem
66 prata habitum, viridi gaudet nemus omne colore
67 et viridi teretes suras include cothurno.
68 Tutior ingreditur tali venator amictu
69 frondentes Dryadum silvas, fallitque ferarum
70 lumina, saepe dolos meditans, dum delitet alta
71 Carice, et insidias miseris parat. At tegit alpes
72 cum nix alta, rigentque gelu cava flumina, et omnes
73 silvarum cecidere comae, nec gramina campis
74 apparent, niveo incedes tunc tectus amictu.
75 Abde domo cristamque levem phalerasque sonantes
76 frenaque, quae late lucent auro aut orichalco,
77 et picturatis radiantia baltea signis.
78 Sunt etiam sua silvicolis venantibus arma
79 nota satis : nodosa tenent venabula primum
80 Cressa locum, quibus ex solido riget aspera ferro
81 cuspis et intorto circum fera cingitur aere.
82 Falcatus tibi sit mucro, falx curva pedumque
83 ornatum rigido ferro, curvataque in arcum
84 fraxinus, enodes calamos palus alta ministrat.

85 Omnia quae, cum forte vacat aut torrida caeli
86 tempestas vetat ipsa, aut intractabile frigus
87 saevae hiemis turbare feras, memor ipse repones.
88 Sit raucum cornu socios accire, canesque
89 assuetum, laevo semper quod pendeat armo.
90 Hoc dedit Antinoo vitam, quem Phoebus et omnis
91 Pieridum chorus Eridani prope flumina quondam
92 audiit, absentes cantu dum fleret amores
93 et longas sine fine moras ; nam litora propter
94 qua pelagi in fluctus Thybris tumida influit unda,
95 dum sequitur fecunda leves per pascua cervos,
96 imprudens cecidit scrobibus, quas densa tegebant
97 viminaque lappaeque et acuta cuspide sentes.
98 Quid faceret ? Cum jam caelo fulgentia signa
99 monstrarent nitidum noctis decus, et sua rubro
100 mersisset Phoebus radiantia lumina ponto.
101 Hic tamen haud trepidus rerum, spe nixus adunco
102 insonuit cornu, quo litora curva repente
103 insonuere, sonum comites vocemque secuti
104 accelerant foveaque trahunt, densisque latebris,
105 perfossum rigidis juvenilia sentibus ora.
106 Non desit varium retis genus, optima lina
107 producet tibi Tuscus ager, nec fertilis ora
108 quam rigat Eridanus linum negat, et licet Austros
109 pertulerit longasque hiemes, non solvitur ullis
110 imbribus, aut patitur laqueis evadere praedas.
111 Cannabis at raras segetes tibi terra Sabina
112 mittet et intortos venatica retia funes.
113 Horrida qui numquam ventorum murmura curant,
114 aut pluviam, aut Lybico missos a cardine nimbos,
115 non sint saeva tibi catulorum semina cordi :
116 non alit Armenias tellus Oenotria tigres,
117 non lynces, nec nos Libycis venamur in oris.
118 At ripas Arni juxta et vaga flumina circum
119 atque alius, qua Tyrrhenum mare et Adria circum,
120 pulsat utrumque latus fluctu fremituque sonanti
121 Ausoniae, aut laetis in vallibus Appennini
122 venatu assiduo invigilans, non territus horret
123 a tergo, aut vasta deprensam in rupe leaenam.
124 Sat mihi forma canum placeat, quam pulchra Timavi
125 educat ora, fuga celeres, et morsibus acres
126 Cnosia terra creat. Tamen haud confide, licet sint
127 progeniti patre Tyrrheno fortique molosso,
128 et Celtas referant proavos stirpemque Lacaenam
129 te fallent et signa canum ; nec lumina semper
130 torva superciliumque minax, atque aspera villis
131 pectora, et hirsutae nares proceraque colla
132 discutient tacito terrorem in corde latentem.
133 Exerce per prata canes, dum mollior aetas
134 succedit, nec adhuc tenero stat corpore robur.
135 Et quoties vacuo celeres agis aequore damas,
136 intersint morsuque feras invadere tentent,
137 atque armos atque ora lavent, faucesque cruore,
138 degeneres a stirpe cava memor occule terra
139 saxa super cumulans, nec dulci ignosce juventae.
140 Sint ursae capraeque domi, cervaeque fugaces,
141 quae solae in silvis nullo custode vagari
142 sint solitae, solaeque domum et sub tecta reverti.

143 Tu tales, mi nate, feras servabis in usus.
144 Namve ubi laeta parens ad vitae lumina natos
145 ediderit partu catulos, tunc dama ferinis
146 uberibus teneros fetus alet, aut lupa dudum,
147 aut nuper connixa, novo dabit ubera lacte.
148 Non ipsos assuesce cibus, nam corpora morbis
149 afficiunt, rapidosque negant per gramina cursus.
150 Quid dicam ? Citius miseris subit aegra senectus.
151 Cura etiam, at facilis, mihi nunc succedit equorum ;
152 namque Acragas, nec non tellus Sardoia feroces
153 gignit equos, animisque pares Sicania tellus.
154 Epiros Numidaeque truces tibi ad Elidis urbem
155 victrices mittent palmas, nec fallor, equorum.
156 Heu fuge quos latis pascit Germania campis
157 cautus equos ; fuge, nec stabulis admitte paternis.
158 Nec moveat te densa juba, et frons ardua, et aures
159 exiguae, glaucusque color, demissaque ad imos
160 cauda pedes, latique humeri, distinctaque membra.
161 Non equa te formosa ferat per pascua, quamvis
162 Elidis ad metas rapido sit cognita cursu,
163 et cursu superet ventos : nam dulcibus illa
164 illecebris ad bella animos accendit equorum.
165 Quo strepitu reboant silvae, fugit et fera dumis
166 abdita, latratusque canum spe ludit inani.
167 Jam nunc, nate, tibi felicia tempora ponam,
168 queis campos late tenebrosaque lustra fatiges.
169 Principio cum tristis hiems, segnisque recedit
170 atque hiemi ver purpureum succedit aquosae,
171 tunc tibi tempus erit silvarum incingere fauces
172 cassibus, in latosque canes immittere campos.
173 Praecipue cum luce nova sol decutit herbis
174 nocturnum caeli rorem et vaga Cynthia Phoebos
175 noctivagis comitata astris jam pallida cedit.
176 Nate etenim cum vesper adest, et cum vaga signa
177 conspiciuntur, et ex alto cadit acrius ros,
178 confestim silvas animalia cuncta relinquunt :
179 pars praedae invigilant, pars laetis saltibus herbas
180 pascuntur, pars e silvis sua pignora ducunt,
181 et primos herbosa docent per pascua cursus.
182 At vero cum pulchra vehit lucemque diemque
183 Aurora, et rutilo cedunt Titania Phoebos
184 sidera, et e stabulis agit armentarius altos
185 in montes pecus omne, virent ubi collibus herbas
186 fertilibus dulcesque cadunt de rupibus undae,
187 in nemorum sese latebras animalia condunt :
188 pars somno sopita jacent, pars ubere parvos
189 distento exsultans natos alit, aut sibi sedes
190 ponit in exaesa longaevi roboris alvo,
191 et saepe inter se damae leporesque petulci
192 per noctem laeti ludunt et signa relinquunt.
193 Tunc melius canis ipse sagax huc currit et illuc
194 et sparsas notis vestigat odoribus herbas,
195 persequiturque feras per gramina odora fugaces,
196 donec ad extremas nemorum pervenerit oras
197 queis fera delituit cogatque in retia praedas
198 latratu horrifico attonitas strepituque sequentum.
199 Tu memor hos aestate modos et tempora conserva.
200 Sed cum sol medium caeli conscenderit axem,

201 tu, pete secretas gelidis in saltibus umbras,
202 et medios aestus properans fuge : lassa quiescat
203 turba canum aut ineat curvo sub fornice somnos.
204 Atque iterum cum pastores ad tecta reducent
205 armenta et parvi properant ad lactea fetus
206 ubera, tunc alios ineant per pascua cursus
207 ardentis catuli, et silvas clamore frequentent,
208 et stimulent cogantque feras sua relinquere lustra.
209 At cum laeta dies somno par venerit, et cum
210 rustica pampineis pubes redimita racemis
211 sub platano viridante sedens nova carmina ludunt
212 et laeta inter se Baccheia munera libant,
213 et meritas Baccho referunt per carmina grates,
214 tu potes ipse canes silva exercere virenti
215 post lucis medios aestus, rutilus donec sol
216 cesserit obscurae nocti et venientibus astris.
217 Ultima pars anni superest, cum dura per agros
218 saevit hiems umbraque carens nemus omne virenti
219 admittit tepidos soles et lumina Phoebi,
220 altaque nix operit niveo velamine terras,
221 in silvas tunc mitte canes, tunc retia tende,
222 venantemque oriens silvis te Lucifer altis
223 prospectet, donec caelo decedat ab alto
224 sol roseis invectus equis, tunc clara ferarum
225 in nive vel signata luto vestigia cernes ;
226 et via difficilis non est nulloque labore
227 vestigant oculi fugientum signa ferarum.
228 Si nix alta cadit, caelo si decidit imber,
229 si Boreas silva incubuit, si fulminat Eurus,
230 sed mage si Libycis resonat de partibus Auster,
231 delite, et abde canes stabulis, laqueosque plagasque
232 instrue Cinyphioque para nova retia lino.
233 Inspice vel si laesa canum sint membra ferinis
234 morsibus, et famuli fumosis myrtea tectis
235 tela diu suspensa acuant obtusaque ferrum
236 spicula procludant patuli sub culmine tecti
237 lora paret pubes taurino rustica dorso,
238 hic Corylis furcas, hic querno stipite vallos,
239 hic rasae calamos tiliae abietibusque sagittas,
240 fraxineasque sudas aptet fumoque reponat.
241 Nec vero, mi nate, tuis venatibus umquam
242 Nympharum conjunge choros : Atalanta suorum
243 (heu facinus) tinxit Calydonia prata cruore ;
244 Dictynnaeque refer sacra exoriente quotannis
245 ariete sacratasque fores venatibus ipse
246 accumula : cadat ante focos lepus impiger arasque
247 imbuat, et crines Dictamno ornata juvenus
248 rustica templa petet nudo pede, mox pia tura
249 laeta dabit laetosque canet per compita versus.
250 Sed nos in juga longa vocat levis aura canumque
251 latratus longe auditur strepitumque remittunt
252 inclusae silvis valles : age, sume pharetram
253 armaque, latratusque canum sociosque sequamur.

DAPHNIS, SIVE BASILIUS ZANCHIUS.

P2_02 v.1 Absentem maerens dum nota ad flumina Daphnim
 2 Nisa vocat cumulatque deum fragrantibus aras
 3 floribus, atque Jovem supplex veneratur, et illum
 4 in sua vota vocat caro pro Daphnide, qui nunc
 5 incolit herbosos saltus, qua Lydia pingues
 6 exercet fecunda gravi sub vomere glebas :
 7 Daphnis pastorum decus ingens, Arcades uni
 8 cui tantum voce et calamis cessere magistri.
 9 Confestim data signa Deum, nam protinus ingens
 10 visus adesse procul Dryadum chorus alta peragrans
 11 frondosi juga Parthenii, nemorumque per umbras
 12 concinere et dulci mulcere nitentia cantu
 13 sidera et intonsos colles ; tunc horrida Mopsi
 14 raucaque vox audita procul, vocemque canentis
 15 agnovere procul numerosque et carmina Nymphae.
 16 Nec mora, turbatus Dryadum chorus omnis ab alta
 17 insonuit silva et nigris sese abdidit umbris
 18 indignans vocem et stridentia sibila Mopsi.

ECLOGA TERTIA.

MOPSUS IN PETRUM CANNICERRUM ARAGONIUM,

P2_03 v.1 Quae cecinit modo frondosis in vallibus Idmon,
 2 dicite vos, faciles Nymphae, quae mollia prata,
 3 quae virides silvas fontesque, et flumen Iberi
 4 incolitis, vos hac illum vidistis in umbra,
 5 dum vocat insignem calamis et carmine Mopsum,
 6 dilectum Musis Mopsum, quem Parrhasius Pan
 7 edocuit pecudum letales vincere morbos,
 8 et nova septena modulari carmina canna,
 9 sospite quo laeti colles, qua dives Iberus
 10 influit, aerias contingunt vertice nubes,
 11 atque hieme in media viridissima gramina servant,
 12 nec curant aestate graves Hyperionis aestus.
 13 Sed, Nymphae, memorate bonus quae dixerit Idmon.
 14 "Quando ego te haec olim visentem, Mopse, videbo
 15 pascua et hos virides saltus et dulcia rura ?
 16 Excipiet cum te laeto tua Lydia vultu,
 17 et Galatea colo, et thiasis exercita Daphne
 18 occurret serpillam ferens et cana ligustra ;
 19 aut mecum e gravidis carpes poma aurea ramis,
 20 aut Aegle faciem nullo fucata colore
 21 fiscellam pressi lactis, tibi, nubilis Aegle,
 22 afferet, et plenis bene olentia sarta canistris.
 23 Te ruris decor omnis amat vallesque recurvae,
 24 flumina te ripaeque vocant, tibi florida prata
 25 submitunt varios texenda in sarta colores.
 26 Ipsa sedens molli formosa Amaryllis in herba
 27 sanguineis intexta rosis tibi lactea nectit
 28 lilia, narcissum rutilique comas Amaranthi.
 29 Necte Amarylli rosas, animo tua gaudia Mopsum

30 concipe, nec longum properans ea differet aetas.
31 Te tuus ad patrios colles longaevus Amyntas,
32 lanigeri oblitus pecoris rerumque suarum,
33 te solum cupit absentem. Sed nec mihi rura
34 culta placent sine te mollesque in saltibus umbrae.
35 Non laeti per prata greges, non candida Leuce,
36 quamvis illa suos ultro narraverit ignes
37 saepe mihi, et nostram toties laudarit avenam.
38 Nymphae, quae placidos colles, quaeque abdita silvis
39 prata colunt et quae silvis venantur in altis,
40 sunt tristes sine te, non has immensa ferarum
41 praeda juvat, non veris honos, non copia florum.
42 Mopse, tui desiderio ne afflige Napaeas,
43 absentem quae te nemorosa per avia quaerunt.
44 Dulcia formosi miraberis otia ruris ;
45 hic calamis sallit volucres, hic vertit aratro
46 fecundam sub mane novo, sub vespere terram ;
47 hic pecori vitreos fontes et laeta ministrat
48 pabula et errantes herbosa ad pascua tauros
49 pellit, et arguta deducit arundine carmen.
50 Ergo agedum viridante juvet te, Mopse, sub umbra
51 pastorum antiquos aliquando invisere coetus ;
52 hic ubi perpetuos tellus laetissima flores
53 parturit et dulcis caelo diffunditur aura.
54 Te Nymphae invitant habitataque flumina Nymphis
55 jam toties laudata tibi. Quid, Mopse, moraris
56 indomitos inter populos, qua turbidus Ister
57 volvitur et cursu rapido premit horridus arva ?
58 Quid dicam ? Qua silva ingens, qua se ardua pinus
59 subjicit, horrentique polum late occupat umbra,
60 aerii summo tollunt se vertice montes,
61 semper inaccessi montes. Quid saeva fluenta
62 enumerem ventosque truces et frigora dura,
63 qua late assiduis nivibus jacet invia tellus ?
64 Non hic saevit hiems, non candida populus altas
65 languet tonsa comas, pluvia nec turbidus Auster
66 decutit aut blandos flores aut rosida mala.
67 Non gelidi fontes rapido sub sole tepescunt,
68 nec rigido concreta gelu cava flumina torpent.
69 Expositi Zephyris colles et pascua cordi
70 sint tibi, et apricis spirantes collibus aerae.
71 Felices umbrae nemorum, felicia prata,
72 cum dabitur vobis audire in valle canentem
73 Mopsium Naiadas Nymphas, quas laetus ad alta
74 astra feret cantu ; namque has amat, etcupit inter
75 pastores Nymphasque gravi adveniente senecta
76 felicem in silvis, Phoebos duce, degere vitam.
77 Vos flores, vos irrigui per pascua rivi,
78 vosque greges gaudete ! Parat nam carpere iniquum
79 Mopsus iter gelidasque nives et frigora linquit.
80 Jamque ipsum positas alio sub cardine terras
81 linquentem meditor, silvasque et amata petentem
82 flumina, et exactos repetentem saepe labores.
83 Non te paeniteat tanto post tempore, post tot
84 ancipites casus, post mille pericula leti,
85 et nos et tua rura tuosque invisere colles.
86 Occurret tibi Damoetas, et Thyrsis, et Alcon,
87 ac te complexu excipient, qua pulcher Iberus

88 Caesaream liquidis urbem praeterfluit undis.
 89 Terna tibi Agricolae frondenti altaria luco
 90 indigenae statuent, niveoque Amaryllis amictu
 91 ornabit positas sertis fragrantibus aras.
 92 Mactabunt tibi pastores hac valle juvencos
 93 intacta cervice, canent Lycidasque Myconque
 94 alternis de more tuas ad flumina laudes.
 95 Instituet viridi in ripa certamen Iolas,
 96 contendet jaculo Stimicon, pede Gnosius Idas.
 97 Solemnesque dabunt alii per compita cantus.
 98 O Nymphae haec olim vobis memorare licebit
 99 atque illi majora meis concedere votis.
 100 Haec Idmon, subito extremis cum vallibus ingens
 101 auditus fragor et densis nova murmura silvis,
 102 laetitia saliere undae et lux candida ripis
 103 enituit, sonuere novis concentibus aurae.

DE VENERE ET ANCHISE

AD CAESAREM COMITEM JOANNIS FRANCISCI GAMBARAE COMITIS F.

P2_04 v.1 Quae magni memorare soles arcana parentis
 2 Calliope, et rerum causas aperire latentes
 3 dic, dea, quae series fatorum antiqua Dionen
 4 impulerit Phrygii vitam Simoentis ad amnem
 5 ducere mortali quondam sub imagine, et atrum
 6 Idaeum praeferre nemus fulgentibus astris.
 7 At tu praecipuum patriae decus, optime Caesar,
 8 dum vacuus Mellae ad ripas divina supremi
 9 Maeonidae, vatunque legis monimenta priorum,
 10 ne pigeat miscere tuis mea carmina musis.
 11 Tempus erat, quo prata novant agrestibus herbae
 12 floribus et rigido solvit se frigore tellus,
 13 cum pater omnipotens celso subnixus Olympo
 14 spectabat tepidos ducentia sidera soles.
 15 Hic gremio Venus alma caput demissa parentis
 16 declinat placido languentia lumina somno.
 17 Mox illam, ut longo explicuit se diva sopore,
 18 complexus placide genitor : "Quid lenta quiescis
 19 nata ? Refert, surgit major tua gloria caelo.
 20 Huc geminas intende acies, en aspice quantum
 21 fata tibi decus ipsa ferant. Tibi floret ad Idam
 22 pastor agens pecudes et mille armenta per herbas :
 23 hunc rara insignem forma tibi fata reservant,
 24 et, quamvis verset per florida prata juvencos,
 25 ille tamen genus egregio de sanguine ducit.
 26 Ex quo fetura est longo post tempore proles,
 27 quae regat ingentes populos et maxima regna.
 28 Rex Teucrum Aeneas Latio nova moenia ponet,
 29 jactatus fatis terra pelagique procellis.
 30 Hinc reges cerno Albanos, et longa nepotum
 31 imperio, et magnae surgentia moenia Romae.
 32 Progeniem hanc olim caeli inter clara receptam
 33 sidera conspicias : quid non Romana propago
 34 efficiet divum auspiciis ? Quid proelia dicam
 35 aspera devictasque acies partosque triumphos ?

36 Constituet leges populis, moremque sacrorum
 37 atque animum ingenuas naturae accendet ad artes.
 38 Imperio tibi subjiciet sua flumina Cinyps,
 39 atque auro Tagus et gemmis fecundus Hydaspes.
 40 Parva loquor, tantum hos terrae mirabitur orbis."
 41 Sic ait, occultumque animo inspiravit amorem.
 42 Nec mora tendit iter liquidi per inania caeli
 43 diva Venus sedesque Paphi sic laeta revisit.
 44 Illam tercentum fidae acceperere ministrae,
 45 ac de more suo vestes exuta fluentes
 46 mersit odoratis caelestia corpora lymphis.
 47 Hinc faciem roseoque genas fucata colore
 48 effulsit, ceu purpureo cum Lucifer ortu
 49 surgit, et auratos ostentat ab aequore crines
 50 et late spargit tremulum mare luce corusca.
 51 Confestim alma Venus levi secat aera curru
 52 in nemus Idaeum Nymphis comitata ministris.
 53 Hinc Nymphae per prata legunt vernantia silvis
 54 lilia spirantesque crocos niveosque hyacinthos,
 55 quos gremio mollique sinu calathisque recondunt.
 56 Spirabant dulces Idaeis vallibus aurae.
 57 Fecundos resoluta sinus nova gramina tellus
 58 adventu magnae Veneris laetata ferebat,
 59 et florum dea lascivos ducebat amores
 60 prata per umbrosumque nemus viridesque recessus,
 61 atque suas monstrabat opes et florea regna.
 62 Quin etiam errabat silvis jucunda Voluptas,
 63 quae modo puniceos flores, modo roscida mala
 64 carpebat, modo purpureos pallente premebat
 65 impexos hedera crines, nunc roscida mala,
 66 nunc lectos flores hederaeque exosa corymbos
 67 aerii montis vasta sub rupe jacebat.
 68 Exsiluere suis formosae Naiades antris,
 69 sustulit et Simois tepido de gurgite vultus,
 70 quin pecudes sensere deam, sensere volucres.
 71 Tandem praecipitis Xanthi devenit ad amnem,
 72 mortales ubi diva habitus et corpora sumpsit :
 73 induit insignis Leuces vultu mque habitumque,
 74 qualis culta sinus auroque ornata capillos
 75 incedit nova nupta viro formosa videri
 76 dum cupit, et levibus figit vestigia plantis :
 77 Cypria sic Leucen vultu mentita per agros
 78 ibat, et Anchisen vidit sub rupe morantem,
 79 et flentem saevis obnoxia Pergama fatis,
 80 ac tali instantes repetentem murmure casus :
 81 "An Danaum armatas Sigaeo in litore gentes
 82 florentemque urbem et lata dicione potentem
 83 collapsam aspiciam, et toties sparsa arva cruore ?
 84 Non sat erat patriam incensam Trojaeque ruinas
 85 aspexisse semel sub Laomedonte ? Quid ultra
 86 caelicolae infelix venientes demoror annos ?
 87 Quid juvat antiquam prolem deducere Teucros
 88 ab Jove ? Palladiumque alta sacrasse sub arce ?
 89 O regnum invisum Superis, quae saeva nepotes
 90 Dardanos manet ira deum ? Quae injuria divos
 91 movit in insontem Priamum ? Pro Juppiter urbem
 92 infensi Superi immeritam, ac sine crimine fundo
 93 evertent ? Atque ante oculos Neptunia cernam

94 moenia non aequata solo, sed versa tepentem
 95 in cinerem ? Sceptrumque Asiae imperiumque relinquet
 96 Troja deum sedes clarisque assueta triumphis ?
 97 At vos, o sacrae pinus, quas ardua servant
 98 Gargara, vos scopuli ingentes, et lata morantur
 99 aequora, frondosis nec non spoliabere silvis
 100 Ida decus nemorum Phrygiae, non te, alma Cybele,
 101 defendet. Sic fata volunt magnique voluntas
 102 sic Jovis est. Quae nam in Phrygios reditura penates
 103 ostentat sese sulcans maria alta biremis ?
 104 Fert secum patriae excidium atque incendia Trojae."
 105 Sic fera fata Phrygum maerens audita canebat
 106 Anchises animo volvens oracula divum.
 107 Vidit ut hanc propius properanti accedere gressu,
 108 credidit esse deam ; tunc spargens lumina fletu,
 109 sic ait : "O virgo nostris incognita silvis,
 110 sive Dryas, sive innuptae comes una Dianae,
 111 da mihi canitiem seramque videre senectam,
 112 et puros sine nube dies, terra alma ministret
 113 pabula perpetuosque gregi de fonte liquores,
 114 et tege Dardanios aeterna pace colonos."
 115 Haec fatus pastor, tunc sic formosa resolvit
 116 ora Venus : "Pulchri gregis o pulcherrime pastor,
 117 non mihi sunt Nymphae comites : ditissimus Otreus
 118 me genuit Libyca quondam de conjugue Nisa.
 119 Ludebant mecum comites per prata sorores,
 120 Leda rosis, Daphne casia, Cydippe hyacintho
 121 texebant gelidis fragrantiaserta sub umbris,
 122 et calathum vario pingebat flore Lycoris,
 123 cum subito aspectu horribili, sed vulnere tardus,
 124 visus aper, nec nos animis insurgere contra,
 125 sed celerare viam rapidosque intendere cursus.
 126 Tunc ego sic casu pectus concussa recenti,
 127 et trepida, atque amens secreta hac valle resedi.
 128 Et nunc quae nemora, aut quae vos jam prata morantur
 129 tuta satis, cum Sol pelagi se occultet in undis,
 130 o fidae et carae comites ?" Sic fata, repente
 131 fluxere ex oculis lacrimae, tunc ora comasque
 132 scindere, et incultos manibus simulavit amictus,
 133 ac sic herboso sedit malesana cubili.
 134 Anchises faciem insignem nudataque Leucae
 135 pectora miratur, casu nec territus ullo
 136 suscipit exanimem gremio, dictisque jacentem
 137 permulcet tacitoque tegit nova gaudia vultu.
 138 Mortali tandem tenera se junxit in herba
 139 diva viro. Risit summi pater auctor Olympi,
 140 vulgavitque dolos Superis, et furta retexit.
 141 Caelicolae risere omnes, et plausibus aether
 142 insonuit caeloque ignes micuere sereno.
 143 At Veneri interea mortalis forma recessit,
 144 quae vultu divum laetos detexit honores.
 145 Dardanius demissa solo sua lumina pastor
 146 fixa tenens sese incusat, numenque precatus
 147 poscit opem. Blande tunc sic Cytherea locuta est :
 148 "Solve metum, nam sponte tuos formosa Dione
 149 venit in amplexus caelumque incensa reliquit.
 150 Magnanimus Aeneam decimo tua pignora mense
 151 effundam, qua se Sigaeo in gurgite condit

152 commixtus Xantho, et stagnantia marmora ponti
 153 efficit, et pinguem Simois trahit undique limum :
 154 hunc pater omnipotens caelo dignabitur alto.
 155 Nostrorum namque ille mihi ventura nepotum
 156 exposuit memorans, atque ordine fata retexit.
 157 At tu concubitus concessaque gaudia nulli
 158 prodere voce velis, tacito sed pectore serva,
 159 ne pater indignans sua fulmina Juppiter in te
 160 ingeminet sternatque gregem, ac pecus omne per agros.
 161 Interea hos virides saltus et roscida prata
 162 tecum laeta colam, nec me requiescere tecum,
 163 aut agere ad liquidos fontes armenta pigebit."
 164 Sic Venus Idaeos colles atque humida rura
 165 incoluit, magno Phrygii pastoris amore
 166 Dum fruitur, caelum et taedas oblita mariti,
 167 felicem donec maturo tempore partum
 168 edidit irriguum flavi Simoentis ad amnem.

ORION.

P2_05 v.1 Dictynna Idaei montis nemora alta colebat
 2 frondosis agitans acres in saltibus apros,
 3 venantem toties quae dum videt Oriona
 4 praestanti insignem forma et florentibus annis,
 5 et toties jaculo sternentem saeva ferarum
 6 agmina, et extento superantem flamina cursu,
 7 ingens hanc invasit amor penitusque medullis
 8 haesit, virgineoque nitens color ore recessit,
 9 et sola incultos saltus atque invia prata
 10 lustrat inops animi, comitumque oblita suarum,
 11 aut herbae viridante solo, aut prope litora ponti
 12 maesta sedet curasque graves sub pectore volvit.
 13 Interdum somnos nemorumque exosa recessus
 14 insolitos ignes tacitumque per ossa venenum
 15 diffundi persensit amans : sic perdita et amens
 16 saepe petit loca nota, feras qua pulcher Orion
 17 insequitur, laterique haeret, nec vincere cursu,
 18 aut premere illapsos vinclis fallacibus ursos
 19 laetatur, non hanc onerosae copia praedae
 20 commovet, ingeminant curae, castusque sub alto
 21 corde pudor prohibet tales insurgere flammis.
 22 Sed quanto illa magis violento pugnat Amoris
 23 tanto durus Amor magis inficit ossa veneno.
 24 Hunc sibi connubio Triviam junxisse per oras
 25 Cretaeas tunc fama fuit, quae conscia facti
 26 jamdudum occultos Phoebos detexit amores.
 27 Exarsit tristes graviter commotus in iras
 28 Delius, atque deam dictis stimulabat amaris,
 29 linqueret ut virides silvas et Cressia rura.
 30 Ast oblita minas Phoebi Latois amantem
 31 prosequitur solitis venantem in montibus ursos.
 32 Cornibus auratis cui tunc donaverat arcus,
 33 et celeres cursu catulos et morsibus acres,
 34 addens Gnosia tela sagittiferamque pharetram.
 35 Tempus erat quo se primum Canis aestifer alto
 36 ostentat caelo atque aestu sitit arida tellus,

37 cum puer assiduo venatu lassus Orion
38 ad vada pervenit, qua sese immergit Oaxes
39 in mare caeruleum, tum latos exuit artus,
40 arcumque pharetramque levi deponit in alga,
41 purpureosque premit niveo sub pectore fluctus.
42 Tunc procul arcitenens nantem super aequora vidit,
43 germanamque vocans recubantem ad litora ponti
44 alloquitur : "Viden ut liquidis sese efferat undis
45 monstrum atrox, rapidoque petat cava litora cursu ?
46 Eia age, Ityraeos arcus intende sagittasque
47 arripe, et horrificum letali vulnere monstrum
48 sterne manu, validisque ostendere viribus artem
49 ne pigeat, duris horrent membra obsita setis."
50 Sic fatus, mora nulla, leves Dictynna sagittas
51 intorquens celeri trajecit tempora ferro.
52 Successu exsultans Phoebus se tollit ad auras.
53 Saucius ille autem fluitans Dictaea secabat
54 aequora et interdum tollebat brachia ponto
55 implorans patris auxilium, miserabile visu,
56 multa gemens, tandem crudeli morte sub undis
57 occubuit. Procurva ingens ad litora corpus
58 ingentes vexere undae : tunc flebile pontus
59 insonuit gemitumque dedit Neptunus ab imo
60 aequore, et insolito tremuerunt litora motu.
61 Heu pietas, puer aequorea resupinus arena
62 talis eras formae qualis formosus Apollo
63 venatu assiduo silvis exercitus Idae
64 ilicis antiquae ducit sub tegmine somnos.
65 At Dea ut exstinctum corpus tremebunda jacentis
66 conspexit lateque patens per tempora vulnus,
67 procubuit super exanimum magnoque ululatu
68 illacrimans, graviter tandem vix talibus orsa est :
69 "Infelix ego ne hac potui te sternere dextra ?
70 Qua promissa fides toties fuit, ut sua mecum
71 vita foret simul his silvis aeterna sub altis.
72 Et nunc Dianae manibus confossus arena
73 voveris et nullas sentis miserande querelas,
74 et patrium spargis spumanti sanguine litus.
75 Crudelis mea dextra, sed an crudelis Apollo,
76 auctor qui tanti sceleris fuit ? Inscia fraudis
77 sed quamvis Dictynna, tamen crudelis uterque,
78 nec mage crudelis ego quam crudelis Apollo.
79 Ipsa dolo fratris si non ego victa fuisset,
80 non ego surgentes dubitasset scindere fluctus
81 auxilium latura tibi, sed maxima nobis
82 nostra fides nocuit venturi nescia fati.
83 Sed quoniam tristes subeunt caelestia poenas
84 numina, si quemquam revocare ad luminis oras
85 nituntur, saltem ut summo specteris Olympo
86 concedet genitor casu commotus acerbo,
87 et natae ante pedes flentis miserebitur ultro."
88 Dixit, et ingenti subito circumdata nube
89 sese ad Caelicolum sedes sic maesta recepit.
90 Nec mora Neptuni proles effulsit Orion
91 sidereos inter motus, lateque coruscans
92 prospectat, qua Sol pelagi sese occultit undis,
93 et dextra insurgens magno cum lumine clavam
94 attollit, (nitet aurato pulcherrimus ense

95 balteus incinctus lateri) seque arduus alto
 96 ostentat caelo, atque acrem in certamine Taurum
 97 irritat ; saevitque animis et tendit in hostem.
 98 Hic Leporem insequitur, cujus dea sanguine gaudet
 99 Delia ; at ille fugit celeri pede, cui Canis instat
 100 Sirius, et rapidis fugientem cursibus urget.
 101 Hic quando subter radianti vertice terras
 102 labitur et rutilum Oceani caput abdidit undis,
 103 aut caeli secat aetherios certo ordine cursus,
 104 apparet geminis canibus comitatus olympo,
 105 informesque feras agitatur duodena per astra,
 106 haud secus ac quondam per Cnosia lustra solebat.

PITYS.

P2_06 v.1 Pitys erat forma ante alias spectanda sorores
 2 quae colerent Pholoes gelidum nemus aut Erymanthi
 3 pascua, et umbrosi lustrarent summa Lycaei,
 4 qua non ulla feras silvis agitare fugaces
 5 doctior, aut positis informes retibus ursos
 6 fallere, et alipedem cursu praevertere cervum,
 7 atque manu valida telum intorquere per auras.
 8 Illa choro Dryadum semper comitata sororum
 9 florentem aetatem silvis agitabat in altis,
 10 solaque lustrabat densos interrita saltus.
 11 Dictaeos arcus humero, pharetramque gerebat,
 12 olli quam dederat magno pro munere Cydon
 13 Parrhasius, cum Nympha pari certamine victrix
 14 Orsilochum rapidi vicit Ladonis ad amnem.
 15 Haec geminos Pana ac Boream torquebat amantes,
 16 Pana sed insignem cantu vaga Pitys amabat ;
 17 et quoties illum modulantem ad pascua vidit
 18 Parthenii, quamvis venatu lassa rediret,
 19 sub noctem toties gelida sub rupe morata est.
 20 Hic modo Maenaliis silvis, modo colle Lycae
 21 agresti stipula dulces memorabat amores,
 22 atque suam caelo Pityn tollebat amantem.
 23 Non ille insanos referebat Apollinis ignes,
 24 servaret niveos dum per juga Thessala tauros.
 25 Non sese primum calamo insonuisse palustri
 26 jactabat, carmenque novum cecinisse sub umbra :
 27 at nitidos Nymphae crines, et eburnea colla,
 28 oraque nativo tantum suffusa rubore
 29 Pityos, et molles cultus habitumque canebat.
 30 Hanc Boreas, quamvis sese despectum, omnesque
 31 incassum fudisse preces se sentit, amantem
 32 persequitur tamen et donis ingentibus instat.
 33 Huic labor, huic studium rigidos componere crines,
 34 abluere et sparsos immundo pulvere vultus,
 35 hic molles manibus violas et cana gerebat
 36 lilia, et ad virides recubabat saepius umbras.
 37 Mulcebant hiemes Zephyri tristemque gravemque
 38 aestatem levis aura, fluit vaga lympa recenti
 39 flumine, nec rabidos aestus aut frigora curat ;
 40 ver erat assiduum, servabant gramina flores,
 41 et nemus omne comas, gelidis Philomela sub umbris

42 perpetuos dulci fundebat gutture cantus.
43 Tanta quies inerat caelo, nam captus amore
44 venatu invigilat Boreas, humeroque pharetram
45 fert demens sequiturque feras per lustra Lycae
46 et blande aspirans silvas et rura peragrat.
47 Forte aderat lux festa patri sacrata Lyaeo,
48 cum Pitys sub sole novo tendebat ad altos
49 Parthenii colles humeris diffusa capillos,
50 et niveum succincta latus, tum bina sinistra
51 tela tenens levique pedes evincta cothurno.
52 Infelix vix illa viam incommitata per umbras
53 carpebat, cum sub clivoso tramite montis
54 obvius huic Boreas sese tulit. Illa repente
55 per nemora alta tenet celeres exterrita cursus,
56 atque amens animi nigra se valle recondit.
57 Infrendens Boreas clamorem attollit, et iras
58 excitat ingentes animo, ac nemus omne fatigat,
59 amissam quaerens inculta per avia Pityn.
60 Quid faceret, quo ferret iter ? Namque abdita silvis
61 nympha latet, non ultra illam spes certa videndi,
62 non locus ullus erat precibus. Tunc vertice montis
63 constitit, atque ardens celsa sub rupe resedit,
64 et vi qua maria alta solet miscere procellis,
65 lambere et alternis rorantia fluctibus astra,
66 concussit nemus ; at circum insonuere repente
67 rupesque vallesque cavae, nemorumque recessus
68 horrisono strepitu, ac crebris mugitibus aether
69 intremuit, fractae penetrarunt Tartara voces.
70 At Nympha ingenti sonitu turbata vocabat
71 tellurem, nemorumque deos Dryadasque sorores,
72 sed frustra crinesque manu scindebat et ora,
73 cum Boreas illam fugientem e fornice rupis
74 vidit, et excelso dejecit vertice in imas
75 convalles. Tunc sic trepidans cadit, et cadit una
76 purpureus color, et flos, et decus omne sororum.
77 Confestim Tellus cladem miserata puellae,
78 annua cui quercu referebat sacra sub alta,
79 augebatque suis structas venatibus aras :
80 suscepit gremio, viridique recondidit herba.
81 Hanc flerunt crinem effusae per pascua Nymphae,
82 cum quibus exercere choros ad nota solebat
83 flumina, et intonsis venerari numina silvis.
84 Non illae sese vitreis mersere sub undis,
85 von visus silvis est Pan, non sumpsit Apollo
86 venatu auratos arcus, non carmen in umbra
87 inter Hamadryadas cecinit, sed conditus antro
88 delituit, Nymphae dum Pityos ossa sorores
89 condebant tumulo flavi Ladonis ad undas.
90 Languescunt herbae campis, maestissima Tellus
91 purpureos nigro flores obduxit amictu
92 Pityos interitu. Quis non miserabile fatum
93 illius ingemuit ? Duri suspiria montes
94 fuderunt, passim illacrimarunt robora silvis.
95 At vero plantam Tellus de nomine Nymphae
96 edidit, et dicta est Romano nomine Pinus,
97 ruris honos, hortique decus, novaque addita silvis
98 gloria, cui laurus Phoebus gratissima cedit,
99 cedit et attollens sese cyparissus ad auras :

100 idem Amor est illi, magnam nam fronde virenti
 101 dilectam Cybelen et amatum Pana coronat ;
 102 Neptuni viridesque comas, Bacchique revincit.
 103 Cum vero Boreas gelido consurgit ab axe,
 104 et tremit ingenti Tellus exterrita motu,
 105 tunc stridet ventoque gemit percussa furenti,
 106 et tenues scisso stillant e cortice guttae.

DE XANTIPPO ET LEUCONOE.

P2_07 v.1 Thessalus insignem forma Xantippus amabat
 2 Leuconoen, his aequalis crescentibus aetas,
 3 una, eademque domus praeclara a stirpe parentum.
 4 At mater juveni jamdudum inimica vetabat
 5 connubia, et tali conjungi foedere taedas.
 6 Tunc miser ille, gravique diu jam victus amore,
 7 torquebat sese gemitosque ciebat amaros,
 8 qua liquidis Asopus aquis silvam inter, et umbram
 9 inter et arva fluit ; cursu non amplius apros
 10 saltibus insequitur Pindi, pulcherrima tantum
 11 illius ante oculos virgo obversatur, et acrem
 12 haurit inexpletum membris sitientibus ignem.
 13 Cura eadem sed Leuconoe percussa parentem
 14 alloquitur retegitque suae primordia flammae.
 15 "Da mihi, quod tua Leuconoe jam nubilis orat,
 16 care pater, da Xantippi connubia gnatae
 17 quae petit, optatas liceat mihi cernere taedas.
 18 Tu potes ipse graves iras mulcere parentis,
 19 tu pater es, thalamos gnatae concede petenti.
 20 Aspice quae macies vultum deformet et ora,
 21 non mentem timor ullus habet, non tabida corpus
 22 pestis edit : tacitum vulnus latet ossibus, oraque
 23 inficit, atque anima moribundos exuit artus :
 24 haec castus mihi suadet amor et vera fateri
 25 cogit, et accenso terrorem e pectore pellit.
 26 Atque ego ni trepidae menti spem saepe dedissem
 27 connubio me posse frui, si te hoc pater unum
 28 orassem, dudum crudelia funera natae
 29 vidisses : fari ulterius non passus amantem est.
 30 Nec mora, cum laeto circum penetralia plausu
 31 pulsa sonant epulasque parat jam Thessala pubes,
 32 et laeta intendit frondenti limina lauro,
 33 progreditur jam juncta suo nova nupta marito."
 34 Assiduus venator erat Xantippus, et omnem
 35 curam impendebat silvis inglorius altis,
 36 lustrabatque frequens montes, ubi retia suetus
 37 tendere et omne genus jaculis agitare ferarum.
 38 Improbis huic nullum versabat in ossibus ignem
 39 arcitenens, tantum formosae oblitus amantis,
 40 abdita amat mage lustra, ferasque invadere ferro.
 41 Verum ubi nox terras picea circumtegit umbra,
 42 venatu redit ille domum defessus, et omnem
 43 deducit somno noctem, nec dulcia curat
 44 oscula, nec gremio infusum se sentit amantis.
 45 Et vix Oceani Phoebus se tollit ab undis,
 46 ille iterum redit in silvas, cassesque, plagasque

47 tendit, et assuetis exercet corpora curis.
48 Leuconoe interea thalamo miseranda moratur,
49 condit et invisos caro si ne conjuge soles.
50 Illa autem, postquam terris noctem orta reducunt
51 sidera, progreditur thalamo incommitata paterno,
52 et chlamydem succincta, tegit quam vilis amictus.
53 Nec non mentis inops per saxa, per avia raptim
54 carpit iter, superatque altas interrita cautes,
55 qua conjunx venturus erat ; namque illa timebat
56 ne conjunx aliquam silvis arderet in altis.
57 Et sese sic maesta hederis bicoloribus abdit,
58 quas illic late errantes locus asper alebat.
59 Tollebat jam Sol tremulo sua lumina ponto,
60 obductum nimboque diem tenebrisque vehebat
61 pallidus, indigna ne morte videret amantes
62 extinctos, positoque rogo, fati inscius Heros
63 cassesque, rarasque plagas haud laetior umquam
64 saltibus assuetis posuit : mora nulla ministri
65 silvarum extremas incingunt retibus oras,
66 immittuntque canes. Illi instar fulminis acti
67 accelerant rapidos nemorosa per avia cursus,
68 et nemorum latebras penetrant. Inclusa ferarum
69 agmina proturbant cursu et fugientibus instant.
70 Haec modo vectus equo, curru modo vectus apertis
71 insequitur velox campis, modo tramite curvo
72 desiliens pedes aggreditur, sternitque, fugatque.
73 Ast alius densum nemus aut loca pervia servat,
74 atque veru figit valido, latratibus acta
75 agmina saeva premens, aliusque alta ad juga montis,
76 aut sola sub rupe canes tenet, aut tenet arma,
77 quadrupedum observans aditusque abitusque ferarum.
78 Dumque feras alii vestigant, haud procul ingens
79 fit sonitus, nemorum qua se miseranda latebris
80 Leuconoe abdiderat, timidaeque adventat ad aures,
81 namque altis impulsa jugis fera saucia dorsum
82 qua latet ipsa, subit partem, mox densa sequentum
83 turba canum incurrunt, atque antri ad limina sistunt.
84 Vulnere sed fera lassa gravi subito cadit inter
85 retiaque morsusque canum. Tunc maximus horror
86 Leuconoen tacitam invasit : quo territa virgo
87 concussit folia et ramos quibus ipsa latebat.
88 Illa fugam festinat, opem vocat illa mariti,
89 sed frustra ; nam densa hederiae virgulta virentis
90 circum amplexa pedes teneros et crura retardant.
91 Illam viderunt trepidantem Ufensque Mimasque,
92 quos cane Amiclaeo partu Gortynia primo
93 Lyda dedit cursuque pares, et morsibus acres,
94 et quibus admorant agrestes ubera damae.
95 Hi pariter pedibus subeunt pernicious antro,
96 actutumque premunt letali corpora morsu,
97 implicitamque hederis lacerant. Tunc forte secutus
98 clamorem, cursusque canum Xantippus ad antrum
99 quo strepitus clamorque vocat fera per loca tendit.
100 Ut primum sparsasque comas laniataque vidit
101 pectora, vix illam agnovit. Trepidansque gemensque
102 secum ait : "Invisi Superis moriemur amantes,
103 et gremio laceros artus accepit inhaerens.
104 Nec plura, errantes socios vocat oraque monstrat

105 saucia Leuconoes, mersumque in sanguine corpus.
 106 Protinus aeriam toto cum stipite pinum
 107 caedit, et ingentem patriis in saltibus aram
 108 constituit, juxtaque pyram frondentibus alnis
 109 apparat : et jam accensa rogo sarmenta reponit.
 110 Mox sacram Superis aram sub rupe sacravit,
 111 lustravitque focos maerens, atque aspera flevit
 112 funera Leuconoae, et sortem miseratus amantum est.
 113 Ufentem jaculo petit et mucrone Mimanta,
 114 hosque manu arripiens (jam caesos) conjicit igni.
 115 His actis, laceros dilectae conjugis artus,
 116 et dulces olim exuvias legit, et capit arma
 117 venantum, et geminos Lybica de stirpe jugales,
 118 omniaque in medios projecit turbidus ignes.
 119 Stant circum taciti comites, silet aspera circum
 120 turba canum, trepidant circum percussa recenti
 121 corda metu, non vox silvis auditur. Ibi amens
 122 Leuconoesque rogo et cineri se immisit amatae,
 123 ardentemque animam medios diffudit in ignes.

LAURENTII GAMBARAE POEMATUM LIBER TERTIUS.

GIGANTOMACHIA. AD ILLUSTRISSIMUM NIOLAUM MADRUCIUM.

2_301 v.1 Nunc agedum, terraeque minas et bella Gigantum
 2 dic mihi, Calliope, nec te facta inclyta divum
 3 paeniteat, magnique Jovis memorare triumphos.
 4 Ipsa patrem toto torquentem fulmina caelo
 5 vidisti, victasque acies, Superumque labores,
 6 luctantemque animam Sicula fub rupe Typhoei.
 7 Postquam Terra parens Erebi persensit ad umbras
 8 Saturnum, Coeumque Hyperionaque Iapetumque,
 9 depulsos Jovis imperio, quibus horrida quondam
 10 bella movens decimo tandem superaverat anno.
 11 Queis centum geminos Fratres tellure sub alta
 12 custodes vigilesque dedit, ne erumpere ad auras
 13 aetherias possent, aut ferrea solvere vincla.
 14 Illa graves tristi volvebat pectore curas,
 15 ulcisci cupiens gnatos Dea ; namque videbat
 16 et tela, et cristas, atque arma inspersa suorum
 17 sanguine sidereis caeli vorantia tectis.
 18 Audierat Phoebum Titania bella canentem,
 19 et Jovis egregias referentem ex ordine pugnas.
 20 Ac veluti teneras segetes cum proterit imber
 21 grandinis, et prono procumbit vertice culmus.
 22 Cum pater hinc atque hinc nimbis crepitantibus aether
 23 praecipitat surgitque Notus, tunc occupat ingens
 24 agricolam dolor, et lacrimis ciet acribus iras.
 25 Tunc illa e caelo sic indignata Gigantes

26 progenuit (mirum dictu) queis pectore magnum
 27 robur erat fidensque animus, queis squama draconum
 28 circum amplexa pedes latos et crura tegebat.
 29 Est locus Emathiae silvis circumdatus altis,
 30 horrentique umbra et caligine mersus opaca.
 31 Hunc raptim confisi animis tenuere Gigantes.
 32 Mox geminas vibrant imis cum stirpibus ornos,
 33 pars altas tollunt antiquo robore pinus
 34 in Superos ipsumque Jovem, pars montibus altis
 35 advolvunt magnos montes et ad aethera torquent.
 36 Praecipue intentant superis letumque, metumque
 37 Porphyrion magnoque Jovem clamore laccessit
 38 ad pugnam, quo tota tremit conterrita tellus.
 39 Tunc pater, instructas caeli de parte phalanges
 40 despiciens, Maia genitum vocat atque ita fatur :
 41 "Infernas pete, nate, domos atque alta profundi
 42 Tartara, Cyclopumque manus, quas vincla coercent,
 43 solve, viam carpens antra ad Vulcania tecumque
 44 hos Comites adhibe, et Liparae sub rupe morante
 45 Vulcanum alloquere ut contra nova bella Gigantum
 46 arma parent : mora nulla Erebi petit impiger umbras,
 47 Cyclopumque manus et ferrea vincula solvit,
 48 atque viam carpens antra ad Vulcania secum
 49 tergeminos ducit comites, Liparaeque morantem
 50 Vulcanum, dura versantem forcipe ferrum
 51 alloquitur, summique patris mandata reportat."
 52 Hic dum miratur proles Cyllenia pugnas,
 53 Saturnumque Jovis fugientem fulmina ab alto
 54 missa polo, versasque acies Erebi profundo
 55 Titanas mersos, victriciaque arma deorum,
 56 dum sese ex chalybe formatum agnoscit et aere,
 57 et magnum incurvo ferientem Hyperiona ferro,
 58 parte alia centum tollentem brachia caelo,
 59 totque simul stringentem enses, magnoque minantem
 60 vimque metumque Jovi dum conspicit Aegaeona
 61 ignipotens operi se accingit, deinde Cyclopas
 62 advocat, hi pariter properant jam fulmina, jamque
 63 arma Deum ardentes instant galeasque orichalco
 64 informant clypeosque gravi ex adamante rigentes.
 65 At pater omnipotens, rerum fata abdita noscens,
 66 concilium vocat aetherei fub limina caeli :
 67 "O Superi, vidistis (ait) quae bella Gigantes
 68 Terrigenae caelo intentent, quibus audeat orsis
 69 mortalis gens posse Deos detrudere ab alto.
 70 Olim Terra parens pulsos ad Tartara vidit
 71 Titanas, tumidumque Gygen, vastumque Ephialten.
 72 Tu vero, mea gnata, cito pete tramite Thebas
 73 Alcidenque voca, rediit qui nuper ab oris
 74 victor Hyperboreis, portans poma aurea secum,
 75 et nunc ire parat Diomedis ad impia tecta."
 76 Haec ubi dicta, animis caelestibus addidit iras,
 77 victrices divum spirans in pectore pugnas.
 78 At Pallas mandata Jovis cito lapsa per auras
 79 exsequitur Thebasque petit. Tunc inclytus heros
 80 propter aquam vacuo domitabat in aequore currus
 81 quem bonus Eurytion rapido sub sole docebat.
 82 Tunc Pallas sublimem illum super ardua duxit
 83 atria stellantis caeli ; secum ille sagittas

84 attulit, has olim Lernaeo in sanguine tinctas
85 Alcidae dono dederat pharetratus Apollo.
86 Protinus ante pedes magni Jovis astitit heros
87 Oetaeus, clavam attollens, quam stipite querno
88 saltibus in Nemeae multa fabricaverat arte.
89 Quattuor assurgit magnum cui corpus in ulnas,
90 ex oculis ignem spirat, bellumque metumque,
91 Goryti ex humero pendent. Vix Juppiter illum
92 amplexus, cum Mercurius Vulcania secum
93 astitit arma ferens. Solio tum tollit eburno
94 se Pater, et Superis radiantia dididit arma.
95 Dat Phoebos auratos arcus pharetramque sagittasque.
96 Et Marti falcatum ensem galeamque nitentem.
97 Hastamque clypeumque acri dat habere Minervae,
98 et thoraca simul munimen pectoris ingens.
99 Loricam horrentem squamis magnumque Tridentem
100 Neptuno, atque hastam letali cuspide donat.
101 Dat Veneri faciles arcus facilesque sagittas,
102 ast acres arcus atque acria tela Dianae.
103 Innumeros ignis radios et sulfura viva
104 attulit ignipotens, et mille tonitrua secum.
105 Quas inter Styge nata volat Victoria pennis
106 praepetibus Divosque alacris in proelia ducit
107 caelicolae astabant accincti pectora ferro
108 magnanimi Jovis ante pedes. Amor acer inermis
109 solus erat, tantum e roseo pharetra aurea dorso
110 prominet, infesta crispans tela ignea dextra.
111 Bellandi ante alios Pallanta Amor improbus urget,
112 impatiensque morae stimulat furor, increpat omnes
113 Caelicolas Erebi que deos et numina ponti.
114 Phoebum despicit ille sagittiferamque sororem,
115 nec ferrum timet, aut magni Jovis ignea curat
116 fulmina, sed subito silvis erumpit ab altis.
117 Nec non Phlegraeis tollit se e vallibus audax
118 Oromedon, summumque gravi petit aethera pinu,
119 frondosumque Mimas vastis cervicibus Ossae
120 imponit Pindum, atque Othryn, quos Juppiter atro
121 fulmine subjectum campi disjecit in aequor.
122 Alcioneus caput e silvis, mirabile visu,
123 attollens, Superos dictis jaculoque lacessit
124 ad pugnam, laevamque manum frondentibus implet
125 illicibus fidens animi, se scindere caelum
126 posse putans, ictu gemino si lucida tangat
127 sidera. Cum furti memor indignatus Apollo
128 magnanimum infensis petit Alcionea sagittis.
129 Ille autem magni temnens tela irrita Phoebi,
130 attollit modo praeruptis cum montibus alnos,
131 et modo tela manu ingeminat, modo frondea densat
132 robora, Thessaliaeque furens exultat in arvis.
133 Hunc contra Alcides direxit tela furentem,
134 tela sed haud juvere acri perfusa veneno.
135 Ut vero Pallas vidit non corpore vulnus
136 accipere, at magis atque magis consurgere in hostem,
137 tunc illi ignescunt irae, geminisque rigentem
138 caesariem implicuit manibus : namque optimus olim
139 Juppiter addiderat natae viresque animumque.
140 Ille autem haud aliter pugna perterritus haesit,
141 quam lupo Atlantis sequitur dum per juga tauros,

142 excelsa longe spectans de rupe leonem,
143 perfusum latos humeros atque ora cruore :
144 olli animus subito nigra formidine torpet,
145 nec versare dolos audet, nec fidere cursu.
146 Atque ita correptum manibus trans conjicit orbem,
147 noctivago quem pulchra ferit Latonia curru.
148 Ingemuit Pallas, partu nam fuderat uno
149 hos geminos fecunda parens, primique ruebant
150 in bello, extremi nec non in castra redibant.
151 "Alcyonen bellique decus, lumenque tuorum,
152 quis mihi te eripuit ? Quis te trans ardua jecit
153 sidera, quid juvit miserum inviolabile corpus ?
154 Ast ego caelestes Superos." Sic fatus, in ipsam
155 Pallada contorsit procero stipite pinum.
156 Porphyriana petit levibus Venus alma sagittis,
157 illiusque femur nudum perstrinxit, at ille
158 subridens, rapit antra simul cum montibus altis,
159 et jacit : intremuere alti tecta intima caeli.
160 Hunc contra jaculum intorsit Saturnia Juno :
161 ille ictum objecto clypeo declinat et hastam
162 vellit, et ad Superos animo indignante retorsit,
163 atque ait : "O Superi non sunt haec aspera bella
164 feminea exercenda manu ; sed quis deus ille est,
165 cui pellis dorsum atque humeros, et pectora lata
166 fulva tegit, clavamque manu, laevaue pharetram
167 ostentat ? Num forte feras agitare per altas
168 se putat Emathiae valles, aut per juga Pindi ?
169 Descendat, mecumque pari certamine pugnet :
170 aspiciet quis sit melior pede, vel mage dextra
171 fortis, et adversum procurrere primus in hostem.
172 Non tulit Alcides, jaculum sed mittit, et ipsum
173 transadigi medium silvisque extendit in altis.
174 Collapsam manibus Clytiae Dictynna securim
175 arripit, arreptamque jacit trans ultima Bactra,
176 trans maris Oceani fines, furit ille securi
177 amissa, resonatque gravi nemora avia voce.
178 In tergum Clytiae direxit vulnera virgo
179 arcitenens : ruit ille gravi sub vulnere et ambas
180 tollere conatur palmas, sed dextra recumbit
181 ad terram tingitque novo nemora alta cruore.
182 Saepe per immensum volitabant aethera montes,
183 et saepe avulsae pulsabant aethera pinus.
184 Juppiter invicta vibrat vaga fulmina dextra.
185 Vulcanusque globos flammaram immittit in hostes
186 et Clytiae involvit flammis crepitantibus artus
187 hujus et ampla gravi diffindit teirpora telo.
188 Hunc pater omnipotens jam viscera rupta trahentem
189 occupat et jacto fugientem fulmine sistit.
190 Tunc diversa metu trepidi petiere Gigantes
191 ac veluti lepores Balearis in aequore campi
192 diffugiunt, quos lapsa polo Jovis ales ab alto
193 hinc atque hinc agitat : non hi consueta sub altis
194 lustra petunt latebris nemorum, sed praepete cursu
195 transmittunt nemus insuetum et loca sentibus obsita,
196 illa autem huc illuc volitans bipatentibus alis
197 terrorem immittit, rostroque immurmurat unco.
198 Per medios ignes ruit indignans Ephialtes,
199 hic dextra laevaue bonus radiantia Bacchi

200 arma quatit quercu annosa truncoque virenti
201 umbonem obtundit clypei galeamque nitentem.
202 Hunc juvat Mars auxilio, et sub poplite telum
203 conjicit, ille trahens vestigia tarda reliquit
204 inceptum belli certamen, opemque suorum
205 voce vocat : gemit ille gravi sub vulnere, sed Mars
206 transadigit geminas ferrata cuspide fauces,
207 rursus et effractis transverberat inguina costis.
208 Huic laevum lumen jaculo munitus ademit
209 Delius ; at dextrum Alcides effodit et illum
210 in medias jecit flammis, ustumque reliquit.
211 Inscius accensos evaserat Eurytus ignes,
212 Neptuni at valida confossus corruiat hasta,
213 letiferumque alto ferrum in pulmone resedit.
214 Fulminat et Bacchus thyrsos, Enceladumque per ignes
215 insequitur thyrsoque ferit flammisque revolvit.
216 Parte alia hunc Pallas telo premit, ille profundum
217 Ionium secat et Siculis celer astitit oris
218 ingeminata ferens proceros hastilia dorso.
219 Hunc sequitur Pallas fugientem ad latus Pachyni
220 aequora, quem supra toto cum vertice montis
221 Trinacriae partem imposuit, terramque sub ipsam
222 condidit, exstinctum ut gremio Terra alma teneret.
223 Per juga longa fugit Polybotes, jamque per aequor
224 caeruleum properabat iter, deus aequoris illum
225 insequitur, Gipedesque agitat per summa jugales
226 caerulea Sthenonta Enceladumque levemque Eriolen
227 Nereidum dextra laevaue chori freta sulcant
228 aspera, tunc pariter vigiles fidique sequuntur
229 Tritones, levique cient vaga numina concha.
230 Hunc circum innumerae gentes, immania monstra
231 verrebant bifidis spumantia marmora caudis.
232 Territus aspectu tanto strepituque sequentum,
233 heu, demens altis pelagi sese abdidit undis.
234 Tunc partem extremam Coae Saturnius urbis
235 convellit, tum mole premit conditque Tridentem
236 sub jugulum, sparsitque undanti sanguine cautes.
237 Nec non Mercurii rigido cadit Hippous ense.
238 Qui centum chalybe informi construxerat ornos,
239 oraue temporaue, et clypei connexa resolvit
240 robora, et exanimem Penei conjecit ad undas.
241 Huic laevam incurvo proles Cyllenia ferro
242 abscidit, et latos humeros atque inguina rupit.
243 Nec procul hinc Pallas Pindi per summa ruentem
244 tollentemque latus montis, caeloque minantem
245 exitium Pallanta videt ; tunc Diva sub umbra
246 se condit patulae quercus, qua plurima surgit
247 silva loco, latera alta tegens frondentis Olympi.
248 Hinc dea, fraude loci sidens nemorumque tenebris,
249 prosilit, atque illum crudeli intercipit hasta,
250 atque ora atque humeros atque abdita viscera rupit :
251 bellator terrae moriens immurmurat udae.
252 Aggreditur Mavors fortem mucrone Mimanta,
253 brachiaue fortesque toros cratesque petivit
254 pectoris, at nihil ille tamen sic saucius horret
255 Mavortem valida nec torta hastilia dextra ;
256 ast ardens subito se colligit, et rapit alnum
257 frondentem vibratque, cruor sed profluis illi

258 eripuit solitum robur ceciditque repente
 259 ad terram gravis alnus, ovans tunc occupat illum
 260 bellipotens, jaculoque ferit sub poplite dextro,
 261 nec non turpia labra superciliumque genasque,
 262 frontemque dextrumque oculum percussit acerbo
 263 vulnere, fatiferamque adigit per colla securim.
 264 Oromedonta gravi pugnator arundine Mavors
 265 Apidani ad ripas sistit, cui plurimus ore
 266 terror erat : tunc Oromedon nemus omne coruscat,
 267 dentibus at frendet Mars impiger, et premit hostem,
 268 illius atque femur vasto proscindit hiatu.
 269 Ille cadens multo madefacit sanguine ripas,
 270 Nymharumque toros et sparsa sedilia musco.
 271 Sternit Athon jaculo Phoebus, Cyllenius ense
 272 Besbicon, injecto Mavorsque Damastora ferro
 273 dejicit. Ardebant jam squamea crura Pelori
 274 fulmine contorto dextra Jovis ; asper Echion
 275 Palladis armisonae telo cadit, horridus alta
 276 astra ferit clamorque deum gemitusque cadentum,
 277 et valles reboant strepitu et nemus omne remugit.
 278 Hic ingens sese tollebat ad aethera rupes
 279 saxea, quam multo cingebant robore silvae.
 280 Huc sese rapidi vasta sub rupe reconduunt
 281 Agrius atque Thoon miscentes proelia ferro.
 282 Extulit ingentem clavam dextra Agrius atque
 283 se dubiae accingit pugnae, stat limine in ipso
 284 ipse Thoon, veluti rupes Marpesia, et ipsum
 285 Martem voce vocans ad proelia saeva lacessit.
 286 Aeriam pinum jacit Agrius, illa comantem
 287 Mavortis galeam strinxit, qua fibula guttur
 288 mordet et aurata dependent cingula ferro.
 289 Non tulit armipotens, sed magnum in pectora vulnus
 290 infligit : nihil ille tamen Mavortia curat
 291 vulnera, sed magis atque magis procurrit in hostem.
 292 Dum vero inter se belli certamina miscent,
 293 ictibus assiduis clypei strepit aereus umbo.
 294 Prosiluitque Thoon antro, clavamque per auras
 295 intorquens magnum conatur scindere caelum.
 296 Mox illam summa caeli de sede cadentem
 297 arripit, Alcidenque petit, clavaque sinistrum
 298 percussit latus, et primo se in limine sistit.
 299 Ingemuit ferus Alcides, summumque Thoonis
 300 oppositum rapida penetravit arundine pectus.
 301 Substitit ille furens animis, et turbidus ira
 302 Alcidae sese opponit. Stat in aere pernix
 303 Alcides saevitque animis, ille arduus alno
 304 fulminat annosa, Amphytrioniademque fatigat.
 305 Ardet inexpletum Alcides, clavamque per aures,
 306 ora per, impubesque genas, perque ilia versat.
 307 Hic vero fidens animis et robore saxum,
 308 Saxum ingens ruit ad postes, atque objice magno
 309 limina praeclusit rupis, fratremque sub alto
 310 gutture transfossum crudeli in marte reliquit.
 311 Omnem autem accessum rupis lustrabat, et omnem
 312 Amphitryoniades aditum per opaca locorum
 313 quaerebat silvae, duosque ad limina postes
 314 vellere tentabat frustra. Tunc talia fatur :
 315 "Da, pater omnipotens, tantam convellere molem

316 posse mihi, et caecas speluncae intrare latebras ;
 317 et mihi nullus opem divum ferat : hunc ego solus
 318 aggrediar, spectent Superi certamen utrumque."
 319 Dixit, et horrifico disjecit limina telo
 320 indignans pater omnipotens, aditumque recludit.
 321 Ad terram domus alta ruit, ruit ardua moles
 322 montis, et occultum celsa sub rupe Thoonem
 323 opprimit ; ille autem dorso dum pellere montem
 324 instat, et auxilium fratris petit, illicet alta
 325 indignans ultricem animam sub rupe profudit.
 326 Excipit Alcides Agrium, volat ille repente
 327 turbidus, atque ictum laeva deflectit, et ore
 328 infrendens, cristas Martis de casside clava
 329 excutit, atque apicem galeae, atque aurea duro
 330 tempora perstrinxit ferro, Martemque moratur.
 331 Non aliter quam cum rabidi maris aequora sulcat
 332 navita puppe levi, si forte exstantia ponto
 333 saxa videt, clavum detorquet et aspera^axa
 334 exit, et ingenti letumque metumque labore
 335 depellit, victorque ratem defendit ab ictu.
 336 Confestim Mavors illum rigido ferit ense
 337 sub femur, et clypeum lateri confixit ; at ille
 338 dum tentat dextra nequicquam evellere ferrum,
 339 Mars ictum ingeminat, dextramque relinquit inermem.
 340 At Martis gladio perterritus armipotens,
 341 tellurem petit, et Mavors supereminet hasta,
 342 transadigitque femur ferrata cuspide , et illi
 343 abstulit indignantem animam misitque sub umbras.
 344 Pan concha tandem insonuit, quo cetera pubes
 345 territa Terrigenum est, incoepataque bella reliquit.
 346 Quos omnes dum terga fugae pallantia vertunt,
 347 Amphitryoniades telis confixit acutis.
 348 Picoloos vero fugiens Jovis arma deumque
 349 insidias, bellique vices, jam proxima ponti
 350 litora, Tyrrhenique maris freta longa tenebat.
 351 Jam sublime jugum et vitreae nemora ardua Circes
 352 occupat, atque ipsam regno depellere tentat.
 353 Stabat odoratis Circe circumdata silvis,
 354 et totum imperio litus montemque tenebat.
 355 Protinus auxilium gnatae tulit impavidus Sol,
 356 Sol pater Aaeae Circes, et saeva per auras
 357 tela manu jaculatus humi prostravit et alto
 358 vulnere transfodit pectus, trepidaeque recludit
 359 vitales animae latebras et sanguine colles
 360 imbuit. At Tellus cari perterrita gnati
 361 interitu, lacrimis gemitus aequabat amarus.
 362 Tunc sic maesta novum nati de sanguine Florem
 363 progenuit, niveo superantem cana colore
 364 lilia (Moly vocant) nigra radice cruores
 365 nigrantes imitata, valent quam Numina tantum
 366 vellere, et ex hominum membris agere atra venena.
 367 Jamque aderat summa caeli Neptunus ab arce
 368 caede nova exsultans hostilique arma cruore
 369 sparsa ferens animisque fremens, et sanguine Mavors,
 370 clavamque clypeumque gerens, contortaque saxa,
 371 atque una comes Alcides, invictaque Pallas.
 372 Concilium cogunt Superi, exuviasque Gigantum,
 373 armaque rapta humeris, quercus, alnosque recentes

374 sanguine praefigunt alti sub fornice caeli.
375 Pax caelum tranquilla colit, sed sola recusat
376 ferre novas fruges, atque annua munera Tellus,
377 atque aversa negat Divum spectare triumphos,
378 at laetus residens solio stat Juppiter alto.
379 Terra iterum ut vidit summo spolia ampla suorum
380 fixa polo, longum ingemuit concussa recenti
381 vulnere, nec quid agat, nec quo se vertere possit
382 conspicit, an sese vasto diffundat hiatu,
383 dissimulet tantos an tristi corde dolores.
384 Mox ira succensa, gravi succensa furore,
385 corpora Thessaliae silvis inhumata reliquit,
386 nec meminit de more pias exsolvere gnatis
387 exsequias, miseram tantus dolor aeger edebat.
388 Flevit at illa tamen maerens, sparsitque capillos
389 pulvere, crudelemque Jovem et fata impia dixit.
390 Stat caedem ulcisci Gnatorum ; deinde per umbras
391 Tartaream penetrat declivo tramite sedem,
392 discinctosque inculta sinus, Phlegetonte sub imo
393 regem adit, et pugnas memorat casusque suorum.
394 Et lacrimans implorat opem. Tunc Tartarus illam
395 nigranti solio residens solatur, et omnem
396 spondet opem jurans Stygis inviolabile numen.
397 Post decimum Tellus partu dedit improba mensem
398 Tartaream prolem, et cunctis mirabile monstrum.
399 Huic horrenda hominis facies, super ardua caeli
400 vertice, et extensis utroque a cardine palmis
401 Oceani extremum litus contingit utrumque :
402 tercentum capita e manibus squamosa draconum
403 surgebant, totidemque angues e cruribus altis
404 edentes rauca stridentia sibila voce,
405 horrida barba tenus laterum, crinisque fluebat,
406 velabant fuscae nigrantia corpora pennae,
407 hic tempestates rapido cum turbine, sulfurque
408 accensum vomit ore ignesque ad sidera jactat.
409 Horridus ille autem magno cum murmure, caelumque
410 aggreditur, caelique deos ad proelia dura
411 provocat in geminas totis cum montibus alnos.
412 Increbescere Martis opus bellumque metumque
413 ut Superi videre, animos, desuetaque dudum
414 arma parant trepidi, totum radiantibus armis
415 ardebat caelum, pugnasque et proelia saeva
416 accelerant cupidi telis insternere monstrum.
417 Mars laevam insertat clypeo pectusque humerosque
418 et suras auro includit, curvumque sinistro
419 ensem aptat lateri, galeamque accommodat, atque
420 cornipedes immittit equos, et fulminat hasta,
421 terribilis late squamis radiabat et auro.
422 Ignem oculis vomit Alcides, plenamque sagittis
423 fert humero pharetram ; nec non et bellica Pallas
424 hastam torquet agens circum, cui purpura pectus
425 in nodum collecta tegit, tegit aurea crines
426 cassida, et Eois radiantia tempora gemmis.
427 Ingruit aequoreis veniens Neptunus ab undis.
428 Delius astabat jaculo metuendus et arcu,
429 indutus latos humeros pectusque orichalco.
430 Mox Orci galeam induitur Cyllenia proles,
431 vertice cui summo rutilans nitet ignea lampas.

432 At subito incurva surgens de valle Typhoeus,
 433 frondosum latus aerii conscendit Olympi,
 434 alta gerens laeva summi fastigia Pindi,
 435 imponitque humeris Ossae, glomeratque per auras
 436 grandia saxa gravesque immani pondere moles.
 437 Nec mora siderei portas obsedit olympi,
 438 reclusitque fores, magnisque sonoribus alta
 439 atria personuit caeli, fumoque volucris
 440 et rapida implevit flamma, quam faucibus ille
 441 evomit, intremuere alti spatia ardua caeli.
 442 At non intremuit Divum pater, aut pia Divum
 443 numina, sed pariter surgunt de sedibus aureis.
 444 Limina tutatur Mavors, quae clausa Typhoeus
 445 torvum vociferans laeva tenet, et quatit alta
 446 atria, Caelicolumque domos stridoribus implet.
 447 At pater omnipotens caeli in penetralibus altis
 448 indignans, solo portarum ingentia nutu
 449 claustra aperit ; prior Alcides raptio emicat arcu.
 450 Ut tigris, viso hoste, cavo se proripit antro
 451 cum fremitu, tollitque animas et se excitat ira
 452 procurso in medio, haud aliter ruit arduus Heros.
 453 Subsequitur Mars, et rapido pede nubila caeli
 454 tranat, et Emathii se vertice sistit Olympi
 455 Mercurius, Pindumque petit Tritonia Pallas.
 456 Et pater ignipotens flammis armatus, et atro
 457 sulfure, viciinis nemorum sese abdidit umbris,
 458 qua vitreis Peneus aquis, lymphaque recenti
 459 extendit placidos cursus, ubi Delia surgit
 460 laurus, ubi ingentes ramis bene olentibus umbrae
 461 proveniunt, gratae Nymphis venantibus umbrae.
 462 At Phoebus Phoebique soror per inania caeli
 463 discurrunt jaculo insignes pharetraque sonanti.
 464 Juppiter aetherei custos permansit olympi,
 465 aspectans Superum pugnas, altumque Typhoeus
 466 aethera deseruit ; postquam sese undique septum
 467 conspexit, pinum crispans nemus omne peragrat,
 468 Mavortemque petit ; tunc dura cuspide Mavors
 469 ardua crura ferit laevo sub poplite, et illum
 470 proculcat. Volat Alcides, volucrique sagitta
 471 eripit hunc, humerosque indigno vulnere rupit,
 472 et clavam tingit, vibrataque tela cruore,
 473 ille furens animi dextra rotat ardua saxa,
 474 evomit atque globos flammarum e faucibus atris,
 475 horrendum stridunt hydri : duo grandia saxa
 476 misit in adversi fulgentia pectora Martis :
 477 Mars clypeum opponit, clypeique sub orbe resultant.
 478 Tunc pariter facto consistunt agmine Divi.
 479 Vulcanus montes flammarum immittit in hostem
 480 spargit et immixtis stridentia sulfura flammis.
 481 Hunc hasta Pallas petit, hunc ferit ense sub imo
 482 gutture Neptunus, proles Cyllenia dorsum
 483 confodit falce ancipiti, Latous Apollo
 484 arte nova tumulum properus capit, arduus unde
 485 hostem ex insidiis a tergo invadere posset.
 486 At Phoebi soror, atque comes, nunc spicula dextra
 487 intorquet, nunc praecipiti volat ignea cursu ;
 488 atque illum premit et jaculo levibusque sagittis.
 489 Irritans clamore virum Junoque, Venusque

490 gaudet Amor carae genitrici tela, facesque
491 suggerere, et flexis intendere cornibus arcum
492 contra terrigenas acies, gaudetque Gigantum
493 sanguine, et hostiles jamjam dare terra Phalanges.
494 Cnosia tela manu dextra Tirynthius heros
495 ingeminat teloque caput transfigit acuto.
496 Ille autem impavidus nec vulnere territus ullo
497 Alciden contra arma movet, letumque minatur
498 caelicolis, audetque Deos se opponere contra.
499 Ille pedem pelago laevum tenet : arida culta
500 qua Cinyps rigat et Libyco sese aequore condit.
501 Dextrum Pindus habet, terraque marique vicissim
502 terribilis pugnam exercet superosque fatigat.
503 Ille autem scopulos ima ab radice revellit,
504 ingentes pelagi scopulos, adversaque tendit
505 arma Deum contra, saxisque rotantibus instat,
506 urget agitque, vocans Tellurem in vota parentem :
507 "Da mihi, cara parens, mediis involvere Divos
508 fluctibus. Ille Deum genitor me spectet ab alto
509 victorem, videatque dolens submersa suorum
510 corpora caeruleo hinc atque hinc fluitantia ponto."
511 Audiit omnipotens genitor per inane Typhoea
512 clamantem, pariter terra, pelagoque furentem,
513 conspexit pugnasque Deum, bellique labores.
514 Mox currum infrenat, volucrique per aera curru
515 invehitur loca summa petens, flectitque jugales
516 alatos stimulis agitans ; passimque Typhoea
517 urgentem huc illuc crudeli Numina bello
518 telis fatiferis invadit, quae Jovis ales
519 attulerat, quondam Aeoliis fabricata caminis.
520 Hic rapidum modo flectit iter, qua Caucasus ingens
521 Medorum dites silvas disjungit ab Indis ;
522 et rubrum tangit latis radicibus aequor,
523 et modo Tyrrenos fluctus, modo transilit alta
524 aequora ab aequoribus longe distantia nostris,
525 corripit atque viam per inhospita Colchidis arva,
526 arvaeque qua nitidam mortalibus aurea Phoebi
527 dat lucem rota luciferi, atque ardentibus orbem
528 caeruleum lustrat radiis, et luce serena.
529 Insequitur curru residens Saturnius aureo,
530 infensisque premit telis, tonitruque corusco.
531 Ut vero tandem tenuit Pangaea Typhoeus,
532 ingruit, aggreditur Superos, procurrit in hostes
533 adversos, mora nulla ruit per pascua praeceps,
534 per Rhodopes juga longa, Jovis nec fumida sentit
535 fulgura, nec rapidis agitata tonitrua ventis.
536 Saucius ille autem maculabat sanguine multo
537 Threicios passim colles : unde Haemus ab illo
538 aeternum per saecula tenet memorabile nomen,
539 unde etiam (mirum dictu) nova monstra repente
540 prosiluere, nocens rabido quibus ore venenum,
541 vel denso sub dente latet, quae noxia tactu
542 et morbos mortemque ferunt mortalibus aegris,
543 inficiuntque leves diris afflatibus auras.
544 At lassus fugit ille iterum, et petit aequora lata
545 Trinacriae, et tandem Siculis se sistit in oris.
546 Tunc valida pater omnipotens dextra arripit Aetnam,
547 et magnum tegit ingenti sub mole Typhoea.

548 Hujus et ora humerosque gravi ferit arduus ictu,
 549 excutere erecto montem dum pectore tentat.
 550 Ingemuit graviter vi fulminis ille corusci.
 551 Trinacriam flagrantem alte ab radicibus Aetnam
 552 ignibus aspiceres intorta ob fulmina dextra
 553 magnanimi Jovis ; hic montem, pariterque Typhoea
 554 fulminibus tangit, perhibentque ob fulmina jacta
 555 perpetuos ignes fundi e radicibus Aetnae :
 556 qui saepe attollunt incendia vasta per auras,
 557 et saepe exurunt laetis cum frugibus agros.
 558 Nec mora, caelicolae radiantis in ardua caeli
 559 atria conveniunt : divum Rex maximus alto
 560 consedit solio ; cithara mox Delius aurea
 561 personat, et Superum pugnas bellique labores
 562 concinit, invictique Jovis longo ordine laudes.
 563 Ille Jovem e caelo jactantem saeva canebat
 564 fulmina, disjectasque acies atque arma Gigantum,
 565 luctantemque animam Sicula sub rupe Typhoei.
 566 Parte alia alternis referunt facta inclyta Divum
 567 Pierides lauro insignes et vestibus aureis.
 568 Salve hominum rerumque parens, quem Tartara et aether
 569 observant : de more tuis sacra annua templis
 570 instituat, et sacri residens in limine templi,
 571 bellaque, devictasque acies, partosque triumphos
 572 ipse canam : tu digna tuis modo laudibus ora
 573 da, pater, inque tuis medium me siste triumphis.
 574 Has tibi, Madrucci, pugnas victosque Gigantes
 575 ad virides cecini ripas, qua Tibridis unda
 576 caelicolis gratam Superis interluit urbem.
 577 Non sine te maris immensos invadere fluctus
 578 tentasset mea cymba, novo nec in aequore vela
 579 tendere, sed Clusi tenuisset parva fluenta.
 580 Qua vitreis mea te genitrix rigat Asula lymphis,
 581 illustresque viros, atque acta decora tuorum
 582 concinerem, quibus exsultat vagus Albis, et ingens
 583 Danubius vitreaque Athesis pulcherrimus unda.
 584 Te canerem, seu bella geris, sive otia pacis
 585 laetus agis, tu pacis honos, tu gloria belli.

IN FONTEM JULII TERTII PONT. MAX.

2_302 v.1 Errabat viridante solo <Lauren>tia Leuce, (début de mot illisible : restitution
 2 qua Tiberis Tusci terminat arva soli, pour lzascansion.)
 3 hic ubi septeni tollunt se ad sidera colles,
 4 quos stringit rapidis Albula vorticibus,
 5 atque ubi virginei fontis pervenit ad undam,
 6 gramineo jacuit jam moritura toro.
 7 Tunc Clymenen Leuce deflens sua pignora quondam
 8 cara nimis, tales sudit ab ore sonos.
 9 "Quis casus miserae mihi te mea nata parenti
 10 abstulit ? Aut quae te barbara terra tenet ?
 11 Bis denos frustra es silvas quaesita per altas
 12 nata dies, nec te lumina nostra vident.
 13 Quos non implevi lacrimosis languida montes
 14 questibus, hei, miserae nec tulit ullus opem.

15 Senserunt resonare meis nemora alta querelis
16 Naiades, vel quae proxima prata colunt.
17 Testes vos, virides silvae, vicinaque silvis
18 pascua, vosque ferae, quas juga longa tenent.
19 Reddite vos illam matri, vos reddite Nymphae,
20 si forte in vestros venerit illa choros.
21 Tu mihi magna Pales, et vos mihi maxima Fauni
22 numina, queis multa cum prece tura dedi,
23 vos oro, monstrate viam, quibus abdita silvis
24 deliteat, vel quo sit mea gnata loco.
25 Tunc aras statuam vobis, tum debita sacris
26 liba feram, accensos tinget et agna focus.
27 Cognovit Clymene fletus genitricis amarus,
28 Glaucaque muscosis condidit ora vadis.
29 Illa etenim residens antro, qua delitet unda,
30 flore coronabat versicolore domum.
31 Et nunc caeruleis ornabat pectora gemmis,
32 ornabat musco nunc viridante comas.
33 Nunc magnas Domini laudes, memorandaque facta,
34 nunc fontis rarum voce canebat opus.
35 Haec eadem sacro ore canit ventura sub orbem
36 Hesperium nostris saecula temporibus.
37 Securus queis pastor agat per prata bidentes,
38 agnaque non timeat sola redire domum,
39 nec cum mane petit silvas, horrescat agrestis
40 ora lupi, nec cum frondea tecta tenet.
41 Non virides silvas evertere curet arator,
42 ut pinguem ferro scindere possit humum.
43 Ad Tanais ripas miscebit proelia Mavors,
44 aut deget silvis solus in Ismariis.
45 Pastor et in viridi carmen meditabitur umbra,
46 et Superos multo laetus honore colet.
47 Haec fore marmoreo Clymene referebat in antro,
48 ceu vates rerum tempora dinumerans.
49 Parte alia Nymphae comites Actaea Thoeque,
50 et teneras fuco sparsa Arethusa genas.
51 Palladia intendunt sublimia limina fronde,
52 antraque, et incurvis abdita tecta locis.
53 Cydippe forma insignis nunc pingit ad undam
54 lactea mixta rosis lilia sanguineis.
55 Nunc nectit Domino texenda in sertas colores,
56 nunc Domini adventu laeta revisit aquas.
57 Nunc nitidas miro disponit in ordine conchas,
58 spargit et Eois atria coraliis.
59 Mox Clymene latices alto sub fornice clausit,
60 condidit et vasto murmura rauca sinu.
61 Sed dum miratur Leuce non currere lymphas,
62 et fontem cursus continuisse suos
63 obstupuit, pressitque graves exterrita questus,
64 et vox est raucis reddita pumicibus.
65 Ne quaere ulterius Clymenem (tua pignora) mater,
66 neve ultra longas anxia carpe vias.
67 Non ego sum silvis pastorum praeda sub altis,
68 nec casu exstinctam me locus ullus habet.
69 Vivo equidem ante alias felix, quae florea circum
70 prata, vel aerii quae juga montis amant.
71 Namque ego cum nitido cinctum se lumine tollit
72 Phoebus, et Eoo ducit ab orbe diem,

73 egredior silvis, sedesque, et amata sororum
 74 concilia, et Lycidae devia rura peto.
 75 Vix iter assuetum prima sub luce tenebam,
 76 cum magni effugio vimque metumque Jovis.
 77 Qui sese in faciem pastoris verterat Auni,
 78 et saepe agrestes luserat arte deas.
 79 Ille autem dum me per roscida pascua Mopsi
 80 insequitur, coeptum linquere cogor iter.
 81 Clamabat ferus ille, iterabat vallibus Echo,
 82 reddebatque vagis vocibus omne nemus.
 83 Naiadum decus, o virgo, cape munera amantis,
 84 ah, peream, si me detinet alter amor.
 85 Tu mihi lux semper tenebrosis praevia silvis,
 86 nocte vel in media tu mihi clara dies.
 87 Sum pastor Fauno satus, et Sybaritide Nympha,
 88 Alpinis cantu clarus in aggeribus.
 89 Mox celer adventu Tusci Alcimedontis ad amnem
 90 se recipit, Tiberis qua gravis unda tumet.
 91 Et fluvium pedes ingreditur (mirabile visu)
 92 et sicco tranat lata fluenta pede.
 93 Servatam Alcimedon hac me sub rupe locavit.
 94 Et sacri fontis me dedit este Deam.
 95 Mox me custodem fonti praefecit amato,
 96 et colere has rupes concavaque antra dedit,
 97 nympharumque choros inter sum nota sub undis,
 98 quas late magnus temperat Alcimedon.
 99 Tu vero cape cara parens communia natae
 100 gaudia, nec pro me te dolor ullus edat."
 101 Dixit, et undanti latices effudit ab urna,
 102 et fluxit solito laetior unda sono.

JULIO III. PONTIFICI MAXIMO SACRUM.

2_303 v.1 Has Nymphae statuere tuis in collibus aras
 2 caespite de vivo, maxime Jule, tibi,
 3 qua Clymene vitreos servat pulcherrima fontes
 4 inventasque tuo munere fundit aquas.
 5 Illa autem comitem Nymphis sese addit, et omnem
 6 populea properat spargere fronde locum
 7 et lymphas tenui cum murmure laeta ministrat,
 8 et late liquido gramina rore rigat.
 9 Hinc rivus rauco per mollia prata susurro
 10 serpit, et irriguo temperat arva pede,
 11 quo flos purpureus gratos exspiret odores,
 12 et circum laetis floreat herba comis.
 13 Sed cum frondenti celebramus sacra sub ulmo,
 14 in silvis pastor non agat ullus oves.
 15 Jam matura vehat nec rusticus hordea plaustro,
 16 nec flavas segetes area lata terat,
 17 nec quisquam ferro terram insectetur, at omne
 18 ruris opus cesset, cesset et agricola.
 19 Tu vero, pater alme, novos ne despice ritus,
 20 munera nec quae fert Lydia Nisa tibi.
 21 Quid cessas, pater alme ? Tuis te in vallibus umbrae
 22 prataque, et aspirans te levis aura vocat.

23 En Nymphae quae rura tenent, quae proxima servant
 24 flumina, quaeque altis montibus antra colunt,
 25 Palladia ornatae crines et pectora fronde
 26 cinnama turicremis imposuere focis.
 27 Incedunt Dryades candenti in veste sorores,
 28 et spargunt rubro balsama mixta croco.
 29 Vicinae redolent bene olentia cinnama ripae,
 30 vicinum Assyrio fragrat odore nemus.
 31 Naiades Nymphae, nec non silvestria circum
 32 te donant sertis numina textilibus.
 33 Silvicolaeque tuas venerantur Oreades aras,
 34 atque ferunt captas ad tua facra feras.
 35 Jam pubem agrestem senior lustravit Amyntas,
 36 dixit, et ad templi carmina sacra fores.
 37 Non desunt illic quos India mittit odores,
 38 quos nec Erythraeum per mare vexit Arabs.
 39 Ionia nuper genitas de matre bidentes
 40 has tibi longaeuus Thyrsis habere dedit.
 41 Puniceos calathis flores fert candida Leuce,
 42 fert et odoratas Lydia Nisa rosas.
 43 Voce canit Tuscus Stimicon, calamisque Menalcas,
 44 et laude insigni te super astra ferunt.
 45 Sed quamvis Panchaea tibi dent cinnama Nymphae,
 46 Nisa rosas, Stimicon carmina, Thyrsis oves.
 47 Te tamen hi pariter donis venerantur amanti,
 48 atque haec unanimes debita sacra ferunt.

AD PETRUM CANNICERUM ARRAGONIUM, FERDINANDI ROM. REG. ARCHIATRUM.

(i.e. 'médecin en chef')

2_304 v.1 Cannicer Aonios inter celeberrime vates,
 2 ultima qua pelago cingitue Hesperia.
 3 Reddidit egregium medica qua Cynthius arte,
 4 atque hominum morbos noscere posse dedit.
 5 Quem toties Phoebus cantantem audivit ad undam,
 6 qua tuus irriguas volvit Iberus aquas.
 7 Quaque ruit rapidis resonans anfractibus Ister,
 8 pinguiaque auratis cornibus arva terit.
 9 Quaque Albis, Rhenusque vagis discursibus errant,
 10 magnaue fecundo flumine regna secant.
 11 Dum sequeris scelerata tui per frigora Regem
 12 immemor, aut terras cum gravis aestus habet.
 13 Quem non languentem morbo, veterique veterno
 14 dexter Apollinea protinus arte levas ?
 15 Quis melius vires herbarum et nomina novit,
 16 pubescatque magis quo Panacea loco ?
 17 Aut quis te melius novit quo tempore flores
 18 nascantur, vel qua pullulet herba coma ?
 19 Aut qua vi gremio condant tot flumina pontus,
 20 duraque qua frangat marmora fulmen ope.
 21 Unde fragor silvis, unde imber et unde nivalis
 22 aera condenset ventus, et unde nives.
 23 Te potius quam castra sequi Regemque per oras
 24 Pannoniae, nemorum frondea tecta juvent.
 25 Pierides semper nemorum coluere recessus,
 26 Castalium vates incoluere nemus :
 27 effugiunt populum vates atque ampla potentum

28 atria, et umbrosi commoda ruris amanti.
29 Ascræum doctæ juvenem docuere sorores,
30 cum ferro sterilis scinderet arva soli.
31 Illum Parnassi trepidum duxere sub umbra,
32 et medium sacro constituere choro.
33 Quarum una e numero, cui plectra sonantia cordi,
34 imposuit vati laureaserta novo ;
35 Pierios mox illa hausit de fonte liquores,
36 et tenera implevit cymbia curva manu.
37 Hinc ille ignavam primus præcepta colendi
38 tellurem ignaris tradidit agricolis.
39 Et primus medicas aegris mortalibus artes,
40 et propria herbarum nomina scire dedit.
41 Et primus causas rerum, et primordia mundi
42 dixit et ætherii lucida signa poli.
43 Et nemorum pelagique deos, nymphasque sorores,
44 et Superum cecinit nomina prima Deum.
45 Hinc ille optatos Pelei, Thetidisque hymenæos,
46 et magni Alcidae fortia facta canit.
47 Quid longas sub Rege moras moliris ? Et ultra
48 Danubium, atque alio condis in orbe diem ?
49 Ipse suas Autumnus opes ostentat apricis
50 collibus et ruris regna beata fovet.
51 Et Pan deductum carmen modulatur ad undam
52 fluminis et toto cum grege rura colit.
53 Et spernit silvas et versicoloribus uvis
54 gaudet, et undanti cernere musta lacu.
55 Naiades silvas linquunt et agrestia ruris
56 tecta colunt, et tu regia tecta tenes.
57 Nec tua te formosa juvant hoc tempore rura,
58 nec patriæ, aut nostri te movet ullus amor.
59 Ipse tuas laudes canit Alpheisiboeus in umbra,
60 quas referunt tacito flumina pulsa sono ;
61 et tua populeo describunt cortice Nymphae
62 Naiades Clario carmina grata deo,
63 quæ puer in patriis cantabas vallibus olim,
64 mulcebasque tuis hæc loca arundinibus.
65 Hic veteris flammæ non immemor, avia quaerit
66 pascua, et absentem Phyllida voce canit.
67 Hic lepores agit in laqueos, hic carice densa
68 delitet, et ficto carmine fallit aves.
69 Atque alius jaculo cervos premit, aut premit apros,
70 et rigido crates pectoris ense ferit.
71 Cecropias spectabis apes per florea culta,
72 dum panaces succos aut Meliphylla legunt.
73 Vel cum se tectis tardo sub vespere condunt,
74 vel cum sub solis lumina prata petunt.
75 Vel cum permetuunt venturæ frigora brumæ,
76 et casia, et lento glutine tecta linunt.
77 Parte alia Lycidas calamis modulatur in antro,
78 per nemora errantes dum sinit ire greges.
79 Quinetiam plastro maturas rusticus uvas,
80 aut jam lecta domum mitia poma vehit ;
81 lintribus et mites nudo pede proterit uvas,
82 ut veteri infundat pinguis musta cado.
83 Agricolaæ dulcis Bacchi certamina ponunt,
84 et celebrant totos mollia vina dies.
85 Quid dicam ? Te rura vocant, te flumina et umbræ,

86 et jam maturis frugibus almus ager.
87 Quare age, linque acies, et magni limina Regis,
88 corripe et assuetas per juga longa vias.
89 Ante gelu quam frenet aquas et flumina sidus
90 hibernum et passim nix juga summa tegat.
91 Ne dubita, claro concedent numina vati
92 incolumem ad patrios posse redire lares.
93 Caelitibus pro te positis jam supplicat aris,
94 fronde nova pubes rustica vincta comas,
95 suppliance silvicolas venerantur voce Penates
96 Tyrrhenus Siculo cum Numitore Telon.
97 Pastores mixti agricolis delubra frequentant,
98 atque onerant votis aethera supplicibus.
99 Cinnama Demoleon adhibet bene olentia silvis
100 Templaque votivo thure vaporat Acon.
101 Et viridis late crepitans felicia signa
102 laurus odoratis ignibus usta dedit.
